Referunt obseruatum, uigesimamsextam lunam si serena fuerit, subsequi imbrẽ, aut nebulas: si nubilosa & turbulenta, serenitatẽ: quod tamen semper uerũ esse haud credo. Lunæ præsagiũ mirum.

Quamuis multa de his tum alibi, tum hîc dicta sint, illud tamen etiam adijciendũ existimo, maximi frigoris præsagium esse in regionibus borealibus, Sol condens se in nube rubente, ut ignis colũna, & eiaculãs radios uelut igneos conos ac cuspides, inde Sole descendente in atrum nubes uertitur. Atq; hæc non generaliter, sed ubi regio natura frigidissima est. Sol enim his nubibus obruitur. Frigus enim, caloris priuatio est. In frigidissima autem regione & hyemi tempore, non fit impressio. Frigoris maximi signa.

HIERONYMI CARDANI MEDIOLANENSIS MEDICI, DE RERVM VARIETATE. *Liber* XVI.

De rebus præter naturam admirandis.

SIGILLA.

CAP. LXXXIX.

TRVM sigilla uim aliquã habeãt, iure meritò dubitatum est: nam figura ad primas qualitates non attinet, nec inter agentia numerari meretur. Cumq; in re mortua fiat, nõ uidetur aliquid posse: ostensum enim est, uiuentium solùm operationes & opera esse. Præterea cùm artificiosa

ciosa res sit, sigillum opus naturale perficere non poterit: aliter ensem liceret fabricare, qui per se homines iugularet. Hæc autem non disputationis causa adducta sunt, neque enim hic locus est talibus, sed ut rei ueritatem per hæc argumenta diligẽtiùs perscrutemur, & exactiùs assequamur.

Sigilla quæ superstitiosa.

Qui igitur sigillis ob figuram fidem adhibent, superstitione utuntur. Cùm enim sub syderum constitutionibus fabricatus est annulus, quicquid insculpseris æqualem retinebit facultatẽ: similiter si aliud existimaueris posse, quàm quod naturali uirtute euenit, deciperis: nam sigillum potest hominem reddere sanum, longæuum, facundum, mitem, fortem: quibus uirtutibus multa & magna gestans assequetur: quod uerò gratum faciat principibus absq; gratia, aut diuitem absq; negociatione, aut militem fortunatum reddat absq; fortitudine, aut militaris rei peritia, perabsurdũ est. Metalla uerò & lapides preciosos mortuas res dicere non licet: propterea ut in ligno quia mortuum est, nihil possunt, ita in auro ac gemmis maximè uiuacibus plurimum ualent.

Viuũ quomodo à mortuo dignoscatur.

Vt uerò quod mortuum est à uiuente discernas, operatio & color edocet. Vides ligna ut mortua sunt, nec surculos aut frondes emittere, nec adeò candida esse aut succulenta. At metalla & gemmæ colorem ac uim suam retinent: idq; rationi consentaneũ, cùm omnia quæ uiuunt auulsa, aliquandiu uiuant. Quæcunq; igitur minori indigent cura, substantiaq; sint solidiore atque tenuiore, paucioribusq; opus habent, diutiùs uiuunt, ut quercus, ob soliditatem: salix uerò, ob facilitatem. Quamobrẽ cùm has plantas pluribus mensibus durare uideamus, uiuent & metalla, maximeq; aurum & gemmæ, præsertim nobiliores, atq; in his sculpere oportet, quæ necessitati parent.

Oportet autem quatuor in his conuenire: facultatis naturam,

naturam, & materiæ, & ſyderis, tum hominis qui eo uti uelit. Velut ſi uelim annulum ſigillum'ue ad conciliandum ſomnum, eligam lapidem ſomniferum, qualis eſt hyacinthus, aut cryſtalli ſpecies cœruleo diſtincta & maculata in congreſſu lunæ cum Venere in Piſcibus, aut Tauro, & ut tum rectè ſe habeat ad geneſim eius qui ferre ſigillum uoluerit: nam ſi congreſſus hic in oppoſito Martis eius qui ferre debet, incidat, parum iuuabit, aut etiam forſan uigilias inducet. Figura quoque in his quæ ad affectus animi pertinent, multum confert: ueluti ad ſomnum inſculpemus hominem iuxta riuum in ſylua dormientem, nam & intuitus & memoria imaginis proderit. Quòd ſi lapis uiridis ſit, ipſo colore iuuabit, aut ex aqueo & uiridi commixtus, uelut praſij ſpecies cum albis faſcijs. Quæ in ſigillis ſunt neceſſaria.

Oportet autem ſcire duo eſſe genera ſigillorum: quædã enim generalem uim obtinẽt, iuuantq; ferè omnes in ea cauſa, ſed nulli proprij ſunt, & non facilè fiunt, niſi in conſtitutionibus generalibus, quales ſunt eclipſes & coniunctiones magnæ, dum etiam luminaria coëunt aut inuicem opponuntur. Propria autem unum iuuant, alium non: ſed longè ſunt efficaciora generalibus, ac faciliùs parantur. Oportet tamen illius pro quo fit ſigillũ, exquiſitè geneſim eſſe notã. Rurſus ſigilla quædã ad bonum opus uim habent, quædam ad malum. Et quædam etiam ad honeſta ac licita: quædã ad turpia, licet non mala. Nos ergo de generalibus tantùm ſermonem habebimus, licitis, honeſtisq;, ac ad bonum opus tendentibus: cuiuſmodi ſunt ad ſomnum conciliandum, ad ſanitatem, uitæ longitudinem, ad memoriam, ingeniumq; augendum, ad futurorum naturalem prouidentiã, ad diuitias, honores, principum gratiam, continentiam, filiorum procreationem, amicos, ad ſecuritatem, à fulmine, à ſerpen Sigillũ ad ſomnũ conciliandũm.

tibus, à feris, ad animi tranquillitatẽ, atq; cætera huiusmodi. Sunt etiam sigilla alia quidem planetarum, alia cœlestiũ figurarum: nec solùm signiferi, sed etiam aliarum: nos uerò solùm de planetis, & signiferi figuris loquemur. Ob id nouemdecim sigillorum, præter eam, quæ ad somnum iam tradita est, structuram docebimus. Dubitabit autem aliquis, quoniam sic quilibet fortunatus euadere poterit, etiã infelici sydere natus & imperitus atq; ignauus. Decet ergo scire, quòd (ut dixi) generalia hæc primùm pluribus cum quibus parum conueniunt, parum prosunt: quibusdam etiam nihil omnmò. Deinde quæ prosunt (ut dixi) ita prosunt, ut omnia tamen in te sita sint. Velut sigillum diuitiarum facit cautum, solicitum, auarum, omnia præter opes despicientem: atque ita ad illas comparandas hominem instruit & exacuit, non secus ac quidam mercator exercitatus, iamdiu atq; admodum peritus, fortunatusq; in parandis diuitiis. Nec statim ista consequuntur, sed post diuturnam gestationem. Denique ut in quibusdam prosunt, ita in alijs causis nocent. Ob id periculosa est horum tractatio, ne forsan dum diuitias augere studemus, sanitati aut filijs, aut nomni bono, aut uitæ longitudini officiamus: tutiùs enim tractantur naturalia, & plus plerunque iuuant quàm sigilla. Et generaliter tractatio omnis eorum, quorum uis non satis perspecta est, periculosa est admodum. Veluti sigillorum, lapidum non uulgarium, dæmonum ac talium. Et quanto potentiora, eò utiliora & periculosiora. Quibus tamen bene cedunt talia, plurimum conferunt, & maxima præbent incrementa. Exemplum autem aliâs me de lapide illo uario qui somnum impediebat, tradidisse me memini: nam ut memoriam & ingenium augebatur, ita peribat somnus. Debent autem omnia sigilla seu metallica

seu

seu lapidea carnem tangere, assiduéq; gestari. Quòd uerò talia efficere queant qualia proponuntur, atque maiora, & experimentum docet, & ratio ipsa suadet: nam dum sculpimus, dum fingimus, uis astri influit, recipiturq;. Propterea metallica sigilla plus uirium ab astris consequuntur, lapidea autem plus sponte habent.

Reliquum est ergo ut doceamus, quæ metalla planetis, quiq; illis tum rebus ac quæsitis lapides congruant, tum generalem rationem construendæ constellationis, ad unumquodque propositum opportunæ. Est autem una omnium generalis ratio hæc, ut geneses corũ qui maximè tales sunt, animaduertas, atque ad illarum similitudinem, quod ad rei significatores attinet, quantum licet assimiles. Velut ostensum est ascendente Sagittario & Ioue in Gemmis constituto, corpulentos & præpingues nasci: si igitur sigillum ea causa constituere uelis, Sagittarium in ascendente statues, cùm Iupiter est in Geminis, in ipsoq; occasu lunam luminibus plenam excipiat: absit autem Sol, Saturnus atque Mars: lunam uerò in talibus obseruare oportet, utpote imbecillioribus uirtutibus præditis, quàm in causa genethliaca. Itaq; hæc ratio, hic modus, ac fermè exemplũ omnium. Sed ut ad quæsita reuertar, non lapides incognitos recensebo, nec molles, sed in quibus maior sit spes. Ad sanitatẽ igitur tuendam generaliter carbunculus pallidior, quem Balasium uocãt gẽmarij: ad omnẽ uriginem, doloremq; mem phites lapis, comitialib. smaragdus, corallus colore ardẽs, chelidonius insanis, præ timore adamas corallus'ue: furentibus autem carbunculus pallidus: amethystus omnibus: ex æquo chrysolithus: fluxionib. berillus: fauciũ & gulæ morbis succinũ, cõuulsioni arthritidiq; magnes, neruorũ doloribus lapis Arabicus: uoci obtusiori, asperioriq; onyx, gin-

Materia sigillorũ iuxta finis rationem.

giuarum morbis corallus: ſanguinis fluxui undecunq; carneolus, iaſpis, topatius cordis imbecillitati corallus: idē uel etiā uiridis iaſpis uentriculo confirmando: elephantiaſi berillus, morbo regio chelidonius, aſciti iaſpis, aut etiam gagates: nephriticis borax, & ſuccinum: fœtui continendo ætites, gemma durior, quam ego noui, non uulgaris lapis ac mollis, tum berillus: uenenis Indicus achates, pazar, borax, uel ætites: ſerpentibus autē & uiperis propriè Siculus achates: peſtilentiæ hyacinthus rubens, atq; ſapphirus: uiſui Indicus achate:, aut ſmaragdus: coërcēdæ libidini onyx, ſmaragdus, topatius: timori irrito, & maximè per ſomnum, adamas: generaliter autem integritati corporis & uirium Creticus achates: caſui ex equo, uel ex alto, erano: aduerſus feras, adamas: idem iuuat eos qui parum conſtanti ſunt ingenio: aduerſus tempeſtates corallus, onyx, Indicusq; achates: fœcunditati progignendæq; ſoboli amethyſtus: idem uel Achates propriè ad ignauiam depellendā: uitæ diuturnitati iaſpis, ſed non omnis, uerùm purus, uiridis admodū, duriſsimus, perſpicuusq;, ac ſanguineis guttis inſperſus, & hic quidem ex oriente aduehitur, plurimumq; ſplendet. Facundum, amabilem, aſtutū, ſi uelis efficere, galactite uteris aut magnete, aut achate Cretico: ingenio ac memoriæ ſi prodeſſe uelis, ſmaragdo uel Indico achate: idem ad ſuperandos hoſtes in prælio, uel certamine eligendus erit, uel amethyſtus orientalis ſcilicet, atq; durior, tum garatronius uel beloculus alba gemma, cum nigra pupilla, ſed ſplendida: in litibus autem onyx, ſed non omnis, uerùm Indicus ille ſapphirinus. Ad animi autem tranquillitatem, amethyſtus, balaſius, carneolus, ſapphirus: hic idē uel ætites gēma probitati, & morū integritati cōferunt plurimū: ſicut ad honores hyacinthus, ad gratiam principum topatius & ſmaragdus

ragdus pellucidus, sed candidis cum lineis, aut galactites, iuxta quosdam: & ad diuitias sarda in primis, hyacinthus, carbunculusq́, is quem præ splendore pyropum uocant, id est, igneum, & topatius. Denique ad omnem fœlicitatem, animiq́ lætitiam, onyx Indicus, aut berillus, hyacinthus (Indici omnes magis) uel sarda.

Quæ uerò metalla aut lapides singulis planetis conueniant, breuiter hic exponam.

Metalla:

Sol, aurum.
Luna, argentum.
Saturnus, plumbum nigrum.
Iupiter, æs utrunq́.
Mars, ferrum & chalybem.
Venus, plumbum album.
Mercurius, electrum.

Lapides ac gemmæ:

Carbunculum, hyacinthum.
Adamantem, crystallum.
Chrysolithum, onychem perspicuum.
Sapphirum, amethystum.
Iaspidem, garatronium, onychem opacum, magnetem.
Smaragdum, sardam.
Achatem, topatium.

Singuli planetæ duos fermè lapides sortiũtur, ut orientales nobiliorem, splendidiorẽ ac magis perspicuũ. Sic Saturnus chrysolithum, Iupiter sapphirum, Mars iaspidem, Venus smaragdum, Mercurius achatem, Sol fœlix carbunculum, & luna adamantem. Contrarijs dispositionibus uiliores sortiuntur. Quasdam uerò ex commixtione, ut galactitem Venus cum Mercurio, atq́ ita de cæteris.

Sigilla signorum.

Nunc demum sigilla singula, iuxta signa ac planetas sunt explicanda. Arietis sigillum fit ex auro, dum Sol initium illius signi ingreditur, luna uerò in Cancro uel Leone, & sit libera à maleficis, & hora meridiei, uel ortus Solis, aurumq; omninò purum, quod & in alijs sigillis ac metallis obseruari præcipio. Confert diuitijs, existimationi, morbis omnibus capitis ac sensuum, in nauigationibus, & aduersus tempestates.

Tauri sigillum fit, dum Sol illud signum ingreditur, & luna sit in Cancro uel Leone, à maleficis libera: confert schinancicis, & hominem reddit ad opera diligentem. Figura hominis studentis. Geminorum sigillum fit, dum Sol illud signum ingreditur, & in meridie uel ortu: hoc enim de omnibus intelligi uolo: sicut quòd luna à maleficis sit libera, sed in Leone, uel Libra, uel Cancro. Prodest chiragræ & morbis brachiorum, comitialibusq;.

Eadem ratione ingrediente Sole Cancrum, & luna in Libra, uel in Leone, sigillum fiet ualidius duobus proximè dictis aduersus tussim, sanguinis sputum, lateralem morbum, ulcera exedentia: & si fiat in iaspide figura, aut corallo, affectibus uentriculi plurimum proderit. Debent autem omnia sigilla deferri in parte patiente, si curationis causa aut præseruationis deferantur. Si autem ob diuitias, uel honores, aut sapientiam, super pectus. Si ad diuinandum, supponi capiti, aut in ore teneri. Si ad actiones, in digitis, ita (ut dixi) ut semper carni hæreant, non solum tangant.

Leonis eodem modo cùm Sol signum illud ingreditur, & luna sit in Libra, nephriticis plurimum prodest, cordisq; palpitationibus, febribus acutis, Solis ardoribus, fortem facit & probum. Figura homo triumphans.

Virginis sigillum Sole signũ ingrediente luna in Libra,

uel

uel Sagittario. Confert omnibus doloribus uiscerũ, & horrori ac typis febrium. Medicamenta quoq; quæ deuorãtur, si hoc sigillo imprimantur, non parũ plus prodesse dicunt.

Sigillum libræ cũm Sol signum ingreditur, & luna fuerit in Capricorno, uel Aquario: facit gestantes pios, misericordes, mansuetos, prudentes: ad coniugũ concordiam, ac lucra, & contra hæmorroidarũ cruciatum: tutos reddit nauigantes. Figura hominis sedentis ac quasi cogitantis.

Sigillum Scorpionis cũm Sol ingreditur hoc signũ, estq; tertium generale præceptum, luna uerò in Aquario, uel Piscibus: ad quartanam, amphimerinã, tabem, & uesicæ morbos. Quòd si Venus Soli tunc iuncta fuerit, & Iupiter ambos respexerit, urigini urinæ multum proderit. Facit etiam pertinacem & inuictum. Dolores quoq; ex ictu scorpionum sanat, uel si thus eo impressum deuoretur.

Sigillum Sagittarij cũm luna fuerit in Piscibus, uel Ariete: comitialibus, dæmoniacis, insanientibus, ischiæ dolori, febribus mixtis ex bile & pituita, uel sanguine.

Sigillum Capricorni, Luna in Ariete, uel Tauro, ad artuum dolorem, & contra canes etiam rabidos.

Sigillũ Aquarij Luna in Tauro, uel Geminis: ualet in doloribus cruriũ, facit studiosum & prudentẽ: uisui conferre atq; oculis referunt: reptilibusq; animalibus resistit.

Piscium sigillum dum Luna est in Geminis, aut Cancro: prodest podagricis, elephanticis, atq; ulceribus prauis, carcinomatibus, phagedenæq;. Atque hæc ex Rinaldo Villanoua fermè.

Verũm sigilla planetarum multò nobiliora sunt, maioriq; indigent obseruatione. Cõmunia uerò his sunt ut significator sit in angulo, luna fœlix ipsum respiciẽs, & Sol illi fauens: scilicet ut primũm à radijs eius liberetur: nec Sigilla planetarum.

malefica

malefica significatori obstet, aut super ipsum eleuetur: & ut in proprio metallo fiat, uel gemma: pro Sole, in auro, uel carbunculo: pro Marte, in iaspide uel ferro. Solis igitur sigillum cùm fuerit in Ariete, uel Leone in oriente, & Iupiter in cœli medio cum luna in aspectu Veneris: & adsint fixæ uelut lampas, spica Virginis, cor leonis, erit res illustrior: facit hommem sapientem, grauem, pudicum, fortem, honorem illius auget, uictorem aduersus hostes, potentem, magnanimum, seuerum ac felicem, nisi quòd erit cogitabundus. Lunæ uerò in itineribus, in mercatura, in diuitijs fortunatũ, uersatili ingenio, lepidum in societate: cum mulieribus gratiam præstat.

Iouis ad honores, magistratus, gratiam principum, diuitias, mansuetudinem, bonos mores, animi trãquillitatem, continentiam, amicitiam contrahendam, sacerdotia, obtinendamq; in litibus uictoriã. Quòd si Saturnus illi faueat, etiam ad hæreditates consequendas.

Mars ad uictoriam, fortitudinem, ad lucrum per ludum etiam, si Mercurius illi faueat.

Veneris ad dona consequenda, ad gratiam principũ & magis mulierum: ad sacerdotia etiam, sed magis ad connubia: ad salutem morborum desperatorum, lætum & hilarẽ gestantem reddit. Obliuisci facit mœroris & curarum, pluresq; largitur amicos. facit comem & affabilem.

Mercurij facit solicitum, promptum, elegantem, diuitem, facundum, astutum: ad disciplinas & artes discendas non parum iuuat: ad lites uincendas: ad consequenda officia, ut scribæ magnorum uirorum efficiantur.

Sigillum nobile. Nobile uerò sigillum fiet Ioue, Venere, Luna, & capite draconis in Leone, uel Aquario, uel Tauro, aut Ariete, uel Libra iunctis, uel si Luna respiciat reliquos, in cœli autem medio

medio constituere oportet: hoc igitur sapientiam, honores, diuitias, gratiam apud principes, potẽtiam, famam, omnia demq; bona largitur. Fit autem in auro, aut carbunculo, etiamsi sit balasius, aut granatus.

Sigilla autem unicuiq; propria: uelut mihi ad diuitias, & acuendum ingenium, lætitiamq;, & superandos æmulos: in Sarda sculpere oportet, quoniam lapis hic hæc significat & adauget: estq; lapis ipse Venereus, sed occidentalis Veneris, quæ mihi dominatur. Constituenda est igitur Venus in initio Libræ, ubi est sors mea, & ibi etiam dominatur, libera à maleficis & Solis radijs, directa, in aspectu lunæ amico, uel coniunctione, aut quadrato, cum mutua receptione in cœli medio. Sculpemus arbores, & herbas ac riuulum. Sequitur autem ex his, quòd nullus lapis diligenter impressus, figurisq; nobilioribus insignis, uires sigilli & à cœlo efficaces habere possit: antequam enim absoluantur figuræ, dissoluitur nexus ille astrorum. Deferre autem oportebit tangentem pectus. Vix enim quicquam potest lapis ex angusto foramine digitum tangens, in causis quæ ad res magnas, & extra nos pertinent. At uerò si ritè omnia peragantur, non uilis est utilitas, aut uana sigillorum. Adeò magnam uim habent in nobis, ut maximos cruciatus nos sentire non sinant. Quibusdam diuitias, alijs honores magnos pariunt, etiam in ipsorum constructione, uelut alijs omnibus non parum uariante fortuna. Reliqua uerò quæ de his traduntur ac mutatione sigillorum, absurda & superstitiosa sunt.

Sigilla peculiaria.

MAGIA

MAGIA NATVRALIS.

CAPVT XC.

DVPLEX genus est operum huius artis, nam quãdoq; res ipsæ immutãtur abditæ naturali ratione quadam, aut ipsi sensus. Referũt omnes, in occidentali India herbam esse cui nomẽ sit cohoba, neq; in his regionib. Europæ inueniri quæ seu cõmanducata, seu succo per nares attracto, homines excutiat è sensibus: inde uideri sibi dæmonas respõsa dantes. Verũm nõ uera referunt, sed uel obscura, incertaq;, uel adulãtia interrogãti. Ex quibus perspicuũ est, non esse uim dæmonum: quandoquidem hoc medicamẽto egeat, nec semper falsa proferret, aut ambigua, & multa medicamenta apud nos idem faciunt, quæ superiori uolumine sunt explicata. Vis igitur medicamenti naturalis est, non ut doceat, sed ut sensu deijciat homines.

Vt quis uideatur respõsa habere à dæmonibus.

Thesaurorũ inuentio.

Primi generis est, quòd referunt candelam ex seuo humano accensam, delatamq; loco ubi thesauri recõditi sint, strepitu illos detegere, inde etiam dum proxima fuerit extingui. Quòd si uerum est, ex sympathia contingit: seuum enim ex sanguine, sanguis autem sedes animæ atque spirituum, quæ ambo cupiditate auri & argenti, dum homo uiuit, tenentur, & ob id etiam sanguinem perturbant. Itaque uelut in corijs arietis atque lupi antipathia uiget, quanquam mortuis: ita hîc sympathia. Melius tamen Hispanus quidam absque candela, ut in technis calidis docuimus, thesaurum reconditum inuenit. Itaque nulla certior ratio rerum, quàm quæ principijs prudentiæ constat: proxima naturalibus à longè petita: reliquæ quæ proprietate sumuntur, aut falsæ omninò, aut raræ: uelut illud quòd

panis

panis frustum in aquam proiectum, è directo cadaueris humani conquiescat, si id sub aqua lateat. Sed ad priorem historiam redeamus. Oportet autem generali methodo perquirere ueritatem. Si igitur candela hæc ob aurum & argentum ac gemmas sepultas agitatur, par est etiam ab insepultis hoc fieri, itaque hac ratione talia quærantur. Est autem magnetis quoddam genus quod argentum trahit: si ergo tenuis uirgula ex argento eo infecta fuerit, ubi uersatilis constiterit, ad argentum, præsertim multum, licet sepultum, conuertetur. Oportet autem optimum esse lapidem, qualem nondum uidi. Alius modus à sonitu sumitur, uelut & apud Vergilium:

—Sonitumq; dedere cauernæ.

Subsidet enim plerunque, & maximè ubi uacuum relictum fuerit, resonat. Et rursus, ubi murus plus æquo crassus est: nam ibi absconditum aliquid esse significat: atque hoc facilè animaduertentibus alijs incomprehensibile. Item terebris prælongis chalybeis loca prætentantur, talia candelæ præstant. Autores habeo Nicolaum & Gulielmum Varignam, clinicos medicos, chirurgumq; Petrũ Argelatam, si sponsus per nuptialem annulum mingat, solui ac impotentia Veneris & fascino. Quòd si in amantis calceum stercus amatæ ponatur, ubi odorem senserit, soluitur amor: nam odiosa est hæc res, & ab Ouidio deducta in primo de Remedio amoris:

Ad soluendũ eos qui ligati dicũtur,

Illa tuas redolent Phineu medicamina mensas,
Non semel est stomacho nausea facta meo.

Et rursus:

Tunc animo signa quæcunq; in corpore menda est,
Luminaq; in uitijs illius usq; tene.

Nec minus naturale est postquã cogitatio abrupit spem Veneris,

Veneris, ea confirmata, per uerisimile auxilium illum liberari: adiuuat interim copia seminis, familiaritas sponsæ, & uerecundia iam sopita.

Magiæ naturalis præcepta.

In uniuersum autem naturalis magia, ex mutatione corporis atque animi magna ex parte in hominibus ortum habet. Mutantur animi ex affectibus, spe, fide, maximè & utiliter: nam metus etiam magis mutat & dolor, sed absq; utilitate: ut etiam luctus & tristitia. Corpus alimētis, & abstinentia, & inunctionibus, ac suffumigijs, ueluti uerbenæ succo dicunt ad amicitias, gratiam, diuinationem, curamq; morborum. Ego non tot uni libenter tribuerim: sed satis constat, magos omnes rectè instituisse in omnibus suis, seu sacris, seu prophanis, suffumigia: ut quæ non ad deos, dæmonas ue pertingāt, sed saniore mente ad arcem, scilicet cerebrum, unde mutatio, spes, iudicium, ac consilium. Itaque fieri potuit, quod Iosephus narrat: curatū coram Vespasiano ac filijs furiosum, annulo tātùm naribus admoto: nam & tali modo interficere cùm possit, non uideo cur tam dignum sit admiratione, quòd sanare potuerit: in his enim aliquanto plus uirium esse oportet in pernicioso medicamento, quàm salutari. Atq; hæc absq; impostura esse potuerunt: an fuerint, haud dicam. Certius quòd lasere equi naribus illitis, eum in furorem agerent, imò etiam homines. At nostrum laser imbecille est, aut aliud: nam laserpitium herba olim erat. Quæ uerò de Antæi tumulo, quòd eruū cineres imbres tamdiu cierent donec reconderentur: apud Troadem Mineruæ sacra non putrescerent: in Veneris templo iuxta Paphum non plueret: apud Peleneos simulachrum adeò terribile esset, ut nemo intueri absque ingenti timore auderet: & quocunque spectasset, omnia perturbaret, tumultuq; compleret: partim falsa, partim ex usu

Eleazari mirum.

Equi ut in furorem agantur.

atq;

atq; longa persuasione ortum habuerunt. Multa mentiri licet apud superstitiosos, & turbam ignauam, timorisq; ac imperitiæ plenam, tum in hac disciplina præcipuè. Narrat Octauianus Horatianus, erucas quæ in uitibus inueniũtur, si ex his uirides formas effeceris, diuq; intactas reliqueris, lycurtium cum uite ostendunt. Atq; horum quia falsa sunt, causa nulla est: quæ enim corrupta sunt, iam uitam non habent: forma uerò omnis ab anima proficiscitur: aut mundi, atq; ita anima est: aut opificis, atq; hæc artificiosa: aut propria, quæ iuxta speciem propriam agit.

Ridebunt, non intellecta causa, qui Plinium dicentem legerint: Si cominus aut eminus illati ictus pœniteat, conspuere manum præstat: percussum enim animal statim dolore leuatur: idq; tanquam uerum refert: cùm subijciat nobis experiri licere in delumbata quadrupede. Versa uice, si prius cõspuat, acrior fit ictus. Duæ igitur causæ huius sunt: altera, quòd qui pœnitentiæ causa conspuit manum post ictum, uix fieri potest quin dum feriret animo titubaret, atq; ita leuius ferit: nam ex eodem impetu iuxta existimationem magnum discrimen in ictibus fit, nobis occultã uim addentibus, subtrahentibusúe. Quòd & si non spueret, idẽ contingeret: sputum igitur pœnitentiæ signum: pœnitentia uerò leuitatis ictus: causa manifesta est ratione, occulta sensui. Alia causa est, tẽpus quod interponitur: post statum enim dolorem minui necesse est: neq; dolor res est stabilis, sed quæ perpetuam habet, uelut ignis, generationẽ: hæc enim in medicis disputationibus declarata sunt. Quòd uerò sæpe contigit, à philosophiæ imperitis pro regula certa statuitur. Accedat ergo & sympathia quædam atq; uis animi pœnitentis, & mundi uinculum partium, fientq; hæc mirabiliora & euidentiora, non ueriora.

Lib. 28. cap. 4.

Cur cõspuendo manũ quæ percussit, percussus à dolore leuetur.

Fatigationi prohibẽdę. Quærendum rursus est an gestata aliquid efficiant? quemadmodum myrti cauliculi ad lassitudinem iter agentium tollendam, & absynthium punicum ad intertrigines, ut Cato scripsit: mihi autem perspectum est, quòd non iuuant, aut exiguis, aut nullis uiribus hæc prædita esse. Sanguinem uerò ab aqua mũdatum, & in Sole siccatum & tritum, sanguinem coërcere, quoniam humanus sit, antipathia quadam uerisimilius est: horret enim natura, simile ad contrarium immutatum.

Sanguini è uulneribus fluenti cohibendo.

Puerorum fascinum. Fascinari pueros fixo intuitu magnorum bufonum, & maximè qui è subterraneo specu, aut sepulchris prodierint, atq; ob id occulto morbo perire, haud absurdum est. Varro uerò scripsit, multos bufones coctos in aqua donec ad tertiam partẽ redeat, si decocto corpus lauetur, glabrum redi: atque id non statim fieri necesse est. Gallinas etiam nihil mirum appenso milui capite nunquam quiescere: nec ratione caret. Oua hirundinum oleo illita, cùm quindecim diebus iam cubauerit, hirundo pullos ædere albos: qui tamen processu temporis mutata pluma, more aliarũ hirundinum nigrescunt.

Corpora ut glabra fiãt.

Gallinæ ut non quiescant.

Hirundinũ pulli ut albescant.

Referũt expertum esse, quod de pluma aquilæ inter anserum plumas posita dicitur: scilicet, quòd eas consumit naturali antipathia.

Pluma aquilæ, anserum plumas exedit.

Aquam salitam cogi oui cãdido referunt: quòd sanè esset utilissimum (ut aliâs diximus) alij referunt sanguine.

Sal quo cogatur.

Refert Olaus magiam adcò uiguisse apud Boreales Dacos, Sueuos, Biarmios, Finnarchos, Scricfinnos, ut nodos tres uenderent nauigantibus, quorum primo soluto uentus suauis, secundo ingens, tertio perniciosissima tempestas insurgeret. Iidem quid absens ageret edocebant, allatis etiam rebus quibusdam illorum, ut chirothecis, claue, linteo, pileo, quæ

Fabulosæ magiæ narrationes.

ideo, quæ ostendebant. Impenetrabiles quoq; se uulneribus, non tamen ualidis ictibus, præbebant: quòd etiam quidam amicus noster persuadere conabatur: ut hebetari acies posset, telorum ictus non posset: quòd etiam per maria sine naue, ossibus innixi, ambularent: demum quòd obcæcare possent & homines, ne domum aut iter agnoscerẽt. Ausi quoq; sunt addere de quodam Gilberto, qui in insula lacus Veter Ostrogotorum detinetur. Adeò ille impudentia hæc ausus est scribere, longinquitatis securitate.

ARS MAGICA ARTEFII, ET MIHINII. CAPVT XC.

NEMO me existimet hæc scribere, at quòd uera talia fore putem, aut quòd res falsas ad historiam pertinere arbitrer: sed ut quilibet intelligat, quibus rebus uana gentilitas fidem habuit: qua amentia Reges, principesq; ad dæmonum cultum transierint: quam ob causam corrupti mores, insana libidine ea cognoscendi faciendiũe quæ in sola Dei potestate fuerint: & ne quidquam tam fallaci sycophantiæ deesset, ornatis ac pijs uerbis ex composito rem pertractant: quasi aliquid quod aut uerum sit, aut uerum esse possit, aut ueritatis speciem habeat. Itaque depulsis ostentis, simulacris, fictis miraculis præstigijs, ueneficijs, lamijs, magia, præcantationibusq;, ad sanam domini Dei nostri doctrinam cõuertimini: nihil in his uanitatibus fidei habentes, quæ cum hoc quod falsæ sunt omnes, & hominem à ratione recta, uero q; Dei cultu separant, infortunijs etiã plurimis grauissimè onerant, ipsumq;

pauperem ac deiectum reddat, ac plurimum ad turpem finem eum perducunt. Itaq; magicæ stultitiæ maximi in ea arte, Artefij subijciantur placita, ut nõ solũm dolosos, sed etiam mente captos magos fuisse dijudices. Huius igitur proposita fuerunt octo, quæ omnem felicitatem pollicẽtur. Ea breuibus uerbis proponam.

Primum.

Docet characteres planetarum, annulorum & sigillorum.

Secundum.

Motus auium quid significent.

Tertium.

Voces earum ac animalium interpretari, ac fortes proijcere.

Quartum.

Docet uirtutes herbarum.

Quintum.

Lapidem philosophorum.

Sextum.

Docet scire præterita, præsentia & futura, per tria nasa.

Septimum.

Demonstrat experimenta propria, tum faciendi, tum cognoscendi.

Octauum.

Declarat uirtutem producendi uitam ad multa secula.

¶ Primum.

CHARACTERES igitur Planetarum sic scribit:

Sol.



Luna.



Mars.

Mars.

Mercurius.



Iuppiter.



Venus.



Saturnus.



ANNVLOS *uerò sic:*

Sol.

Luna.



Mars.

Mercurius.

Iuppiter.



Venus.



Saturnus.



SIGILLA *autem sic:*

Sol.



Luna.



Mars.



Mercurius.



Iuppiter.

Venus.

Saturn

Saturnus.



Hi igitur sunt characteres, dolosa mēte excogitati: quo rum uirtutem nullam esse, certum est. Nam quid his characteribus cum planetis ipsis rotundis cōmune est? At ne nomina putes aut Arabica, aut Chaldæa, aut Hebræa, aut Græca: quòd si etiam forent, quid plus eis uirtutis esset quā Latinis? Igitur figmenta mera esse oportet, nulliusq; uirtutis. Quòd si contendas habere, non nisi pacto dæmonum esse potest? Nam quis talia potuit inuenire, nisi dæmonum persuasionibus? At iam dæmones nihil docere, certum est: quod in tractatione propria inferius demonstrabitur. At dicent, Formæ sunt in nona sphæra, quæ in India uidentur? Ita enim malus ille Apponensis finxit Sed concedatur: quis sanè postmodum docuit hunc characterem Solis esse, illum Saturni? Quapropter ex hoc clarè liquet, deridentium hominum hæc pura fuisse commenta.

Secundùm. Deinde motus auium sic descripsit, dicens: si cornix ante te uolat, significat tempus futurum: si à latere dextro, præsens: si post terga, præteritum, malum semper: si à sinistro, malum, quod tamen auerti poterit bono consilio: si supra te, mortem proximam, & hoc si crocitauerit: nam taciturna nihil horum ostendit. Si autem incipiat uolare è loco alto ad inferius & quiescat, nō tempus, sed personam indicat. Si igitur ante te quiescat, breui recōciliabūtur tibi inimici sui: si supra te descendens uolauerit, erit supra inimicos tuos autoritas tua: si quieuerit in alto, tunc eleuabuntur ipsi contra te: si ibi se firmauerit, eris in eorum potestate: si non quieuerit, locum descensus considera: nam si ante

te, bonum pro te: si uerò aduersum te, bonum pro tuis inimicis: si uerò his peractis, à latere dextro sedeat, lætatur de socia decepta, & nihil ad te: similiter si à sinistro, nam significat mortem proximam eius qui tecum est: quòd si solus sis, sibi ipsi auis mortem pronuntiat. Caue autem, ne uel ob cibum, uel pulsa ab aliquo hæc faciat: nam sic, nihil demonstratur.

Deinde capit duos lapides quadratos in formam aleæ, & in altero eorum ponit aliquid smaragdi, & radicis artemisiæ, & mandragoræ, & inaurauit ipsum, & signauit in sex eius faciebus A B C D E F, unamquanq; seiunctam ab alia, ut in prima facie A: in secunda, B: & in unaquaq; hoc signum X: & appellauit hunc, primùm calculum: in secundo autem signauit 1.2.3.4.5.6. sicut in aleis, sed ponit numerum pro punctis: & similiter illum characterem, & appellauit secundum. Deinde dixit, considera cogitationem tuam, & iter tuum, & similiter auis qualitatem, & quòd non crocitat, nec garrit propter aliquem, & iactabis sortes, uidelicet supradictos calculos, & secundũ unumquodq; genus obserua quædã propria: nã cũ uox sit ex aëre ab aëre etiam excipitur eius proprietas: calculi autem iactantur in aëre, igitur à calculis demonstratur. Ponit igitur primò signum marinum, secundò uiperam, deinde quædam animalia incognita, pòst gryphonem, cuius uocem plumbo aqua pleno iubet excipi aure superposito: pòst cornices, in quibus picem iubet lapillis adijci: pòst cignos, in quibus teram lapillis iubet addi, in pauone sapphirum in ore teneri, in anseribus domesticis radicem herbæ trinitatis, in sylue stribus radicem adijcit herbæ habentis folia quatuor, in passeribus radicem habentis folia uiginti: adijcies calculis, & annulum habebis ferreum in digito annulari: pro canibus an-

bus annulum argenteum minimo digito impone, & radicem herbæ eis propriæ calculis adde. Exposuit autem sortes tribus modis.

Primus, ut intelligatur uox, ut in pauone, & gryphone.

Secundus, ut una auis de grege operetur similitudinem significati, ut si loquantur de submersione, una auis merget se in aquam, & hic modus est auium gregatim uolantium, ut passerum & coturnicum.

Tertius modus est, ut calculorum sors exponatur, pro ut infrà:

A 1 De discordia futura.
A 2 De proximo igne.
A 3 De pace.
A 4 De bello proximo.
A 5 De se loquitur mœrens.
A 6 De mortalitate hominum.
B 1 De aspera hyeme.
B 2 De ecclesiastica discordia.
B 3 De rusticorum morte.
B 4 De te loquitur irato.
B 5 De rege mortuo.
B 6 De interfectione principis.
C 1 De aquarum inundatione.
C 2 De mala fera.
C 3 De apostolica morte.
C 4 De se quòd morietur citò,
C 5 De hyeme infirma.
C 6 De nauium periclitatione.
D 1 De magnis tempestatibus.
D 2 De uictoria Saracenorum.
D 3 De uictoria contra infideles.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-30760-p1147-3 DFG

D 4 De discordia regis cum pontifice.
D 5 De interfectione Christianorum.
D 6 De destructione locorum.
E 1 De proxima morte eius qui iactat.
E 2 De amittendis pennis suis.
E 3 De perditione uinearum.
E 4 De uento generali.
E 5 De interfectione nautæ.
E 6 De peste in porcis.
F 1 De equorum mortalitate.
F 2 De graui ciuitatum persecutione.
F 3 De captiuitate castrorum.
F 4 De morte sacerdotum.
F 5 De puniendo fure.
F 6 De morte animalis loquentis.

Et horum omnium euẽtuum dicit, tempus infrà annum terminari. Alium modum dixit cognoscendi uolucrum uoces: & dixit, pone aliquid ex radice mandragoræ, & piretrũ in ambas aures, & habeas in annulari sinistræ manus annulum ferreum cum gemma, ex pice & folium pini in ore, & uirgam ferream cum aculeo aureo in dextra, cùm quo pungat folium quod in ore habet cũm uocem auis audit, & subitò intelliget. Pòst dixit de herbis rem sanè ridiculam & iocosam, & est, Computa omnes dies à principio infirmitatis cuius uis, & radicem habentis tot folia, siue à natura, siue à casu, annecte patiẽti, & curabitur: si uerò herbam non inueneris tot folia habentem, aggrega radices herbarum plurium, quarum folia ad unguem impleant numerum dierum ægritudinis, & annecte patienti. Post hæc docuit, lapidem philosophorum ad aurum faciendum sic, ut non sit combustibilis, nec compositus ex combustibilibus, cuius ope

ratio

ratio est facilis, si alta ascendere poteris. Accipies enim leonem uiridem, fumum album, & aquam fœtidam, deinde solue, fac calcem, fige, liqua, sublima, donec seruus rubicundus fuerit cum candida uxore, nam cùm calx facta albescit, cùm sublimatum euolat, opus perfectum est. Postmodum docet præterita, præsentia, & futura, dicens primò sic: In Dei beneficijs acquirendis, omnes secundum quod bonum est, aut malum, à secreto eius ortum habent: qui licet diuersis temporibus diuersa distribuat, omnia tamen partitur æqualiter, licet homini aliter uideatur: de cunctis igitur tam bonis quàm malis, gratias ei agere tenemur. Postea subiungit, Mundus secundus à primo cognoscitur, quia quod infra spatium suum operatur medietas, illud idem infra minoris spatij metam operatur æqualitas. Postmodum dixit, numerus uniuscuiusque à se ipso habetur, nam cùm homo oritur, illo temporis momento elementa permiscentur, communicantia omnibus reliquis partibus elementorum usq; ad cœlum, unde cũctorum fit particeps. Hæc tria certè præcepta, inter tot uanitates admirabilia sunt. Postmodum fecit instrumentum, & præparauit hoc modo cum uasis, uase terreo præterita cognoscuntur, æreo præsentia, uitreo futura. Disponuntur & alio modo sic, ut loco terrei habeas argenteum uas uino plenum, & æreum oleo, & uitreum aqua: & tunc in uitreo uidebis præsentia, in æreo præterita, in argenteo futura. Si igitur uolueris inspicere præterita, pone primum uas æreum, secundũm uitreũ, tertium argenteum: si uerò præsentia scire uis, pone primũ uas uitreum, secundũ argenteum, tertium æreum: si futura, pone uas primum argẽteum, secundũ uitreum, tertium æreũ: & postmodum inspice tertium, deinde secundum, deinde primum, & fac ut lux cadat secundũ ordinem inspiciẽdi: si uerò uas



Planum Terræ.

uerò uasa sint terrea, uitrea, & ærea, obserua ordinem in præterito secundum liquores hoc modo, primum sit terreũ, secundum æreum, tertium uitreum, ut in figura, & sic de alijs uidendis: in futuro antè pone uitreum, secundum æreum, tertium terreum: & in præsenti pone æreum primũ, uitreum secundum, & tertium terreum. Deinde obseruabis ut discus

ut discus sit uiridi colore pictus, & gladius sit ut illi, quibus uites putant: & in fundo uasis uitrei sit limbus ex uitro claro, & in fundo argentei lapis onychinus, & in æreo limbus ex uiridi uitro, & in terreo myrrha in fundo uasis, & uasa sint ualde munda, & uitreus sit coopertus panno lineo, albo, mundo: & quando operaris cum terreo, non operaberis cum argenteo, nec econtra. Itaq; debent esse tantùm tria uasa, & sit in loco aprico, & tempus sit ualde serenum, & fuerit iam per dies tres antè, & in die operare cum Sole, & in nocte cum Luna, uel cum claritate syderum: & sit ibi silentium magnum, & operator totus candido uestitus, facie autem & capite rubeo serico, uel lino, totus uelatus, ut tantùm oculi appareant, & sic omnia splendeant in nocte cum rubedine, & in die cum candore. Et si tempus etiam sit uernum, spargantur flores candidissimi diuersarum specierum, & in die operamur etiam cum uase ligneo loco terrei, & liquores sint lympidi, & mundi, & ponitur liquor uini, & non uinum: & fortè intelligit per liquorem uini, uinum ualde clarum, aut aquam uitæ: quòd si non habeatur uini liquor, ponatur aqua quæ pluit sine tonitru: & scias quòd nulla uasa debent esse plena, minus tamen uitreum, quòd debet esse tantum plenum medium aqua, ut res etiam in uacuo appareat, & in uitreum uas aspicies à latere, quia coopertum est, & in reliqua à superioribus: & dixit, si uasa terrea, & ærea, & argentea essent perforata, ut melius possent lumen excipere, non essent malum: & talia uasa debent esse lato orificio: uitreum autem non refert: in aqua autem uidetur umbra rei, in oleo figura, in uino res ipsa: & ita compleuit hanc delusionem. Post hæc declarauit tredecim experimenta, & sunt hæc:

Primùm, inuenitur herba in uimbus Indiæ, quæ habet folia

folia tria, sed cùm ponitur in aqua, non habet nisi unum, id est, non uidetur: hæc refert Deum, qui cùm trinus sit, cũ tamen ponitur in aqua, quæ est intellectus considerantis, est tantùm unus.

Secundùm est, si quis miscuerit sudorem quatuor passionum à quatuor humoribus factarum cum terra, ita quod coadunetur, deinde scribat nomẽ bestiæ, aut hominis in ea, tuncq́ proijciat nomen illud in terram, uidebit imaginem illius, cuius imaginem scripsit.

Tertium, si acceperis uas æreum, & scripseris cum auro & equi sanguine hos characteres: ✠ D ᴬ ᴬ X X, uel hos ✠ ꝏ X X dicendo Comitog: donec uelis illud agere, deinde impleas uas semine papaueris, & proieceris super ipsum thus, apparebunt ibi milites diuersi generis, qui præliabũtur sub quacunq́ forma qua uolueris, nec desinet tale prælium donec semen proieceris: dicitq́ quòd hoc est experimentum Bellerophontis.

Quartum, quòd si impleueris uas argenteum aqua, & inspexeris in ipsum cum lumine candelæ, in radijs Lunæ lucentis cum cultro lucido, à quo in aquam lumen resplendeat, dicit quòd uidebis figurã eius cuius uis. Et nota quòd in tribus uasis descriptis in figura est appositus cultellus splendens, quia in illa operatione oportet ut radij Solis, aut Lunæ cadant super gladium, quem in manu dextra teneas, & ab eo in ipsum uas in quod inspicere uis. Obserua secundò, quòd expectes lumẽ syderum per foramina: & hoc quia non cadet super tria uasa simul, & facies tua sit uersa secundum positionem circulorum in parte Solis, aut Lunæ, aut stellarum in sua medietate, uel quarta. Obserua tertiò, ut candelæ sint positæ ante uas uersus lignũ, unaquæq́ ante suum uas, inter lignum & uas, prima & secunda inter primum &

mum & secundum uas, & tertia inter secundum & tertium uas: & primum uas pro nunc appellat uas, in quod primò ingrediuntur radij Solis, uel Lunæ, uel stellarum facientium umbram, ueluti Luciferũ & Pleiades. Obserua quartò, quòd populea uirga est illa, qua circulus designatur, & quæ indicat uisa in uasis, & quæ ponitur ad pedem uasorũ super discũ, ita ut pars excorticata sit uersus uinum. Quintò & ultimò obserua, quòd radix cucurbitæ ponitur super discum, & ipsa adijcit facilitatem, & uelocitatem propter naturam suam.

Quintum experimentum est, ut seces radicem urticæ, & pulueriza, & pone eam in uas æreum & sit paruum, & fac super ipsum has literas: rex, ce, cor, cor, bon ueul thened, marac. Vel sic: exceco corbonet: & habeas inde chalcedonium lapidem: quicunq; præsentes aderunt, rem uidebũt quam nominaueris.

Sextum experimentum est, accipe scyphum uino plenum, & cum sapphiro describe hæc signa, & expone Soli, in quacunq; re quam interrogaueris, si ferueat, malum: sin autem paulatim exierit, bonum: si igitur de uita interroganti ferueat, morietur.

Septimum experimentum, accipe cornu cerui, & in eo aqua pleno fac hos characteres & pone ad Solem: si rumpitur, res malum habebit exitum: si aqua exit, bonum.

Octauum experimentum, accipe laminã plumbi rotundam & concauam, & imple eã aqua, & pone ad radios syderis, & uidebis sicut in uitro interrogatorum, speciem.

Nonum, habeas in ore topatium cum folio abrotani, & persequere feram donec eam uideas, & subitò expue

quod

quod habes in ore, in pannum sericeum, & liga eum firmiter, & proijce uersus feram, dicendo alta uoce, Grabaton, ulion, adonai: & hoc ter, nec fera se mouebit à loco in quo eam uidisti.

Decimum, circa uasa tria quæ sunt, æreum, uitreum, terreum, pone imaginem masculinam iuxta terreum, & nomen masculinum in uase uitreo: & fœmininum in terreo, & uidebis quodcunq; uolueris de masculo, uel fœmina, cuius nomen in uas imposuisti.

Vndecimum, fac imagines ex cera cum capitibus uacuis, unam masculineam & aliã fœmininam, & pone aliquid de sanguine humano super eas, & imple capita earum seminibus papaueris, & proijce unam in terram, aut ambas, & apparebũt tot homines, aut fœminæ quot sunt semina sparsa, qui uel quæ uidebuntur facere imperata tua.

Duodecimum, in his qui cadunt morbo caduco, fodiunt locum primi casus, & imponunt tres clauos profundè, donec omnes cooperiantur à terra & non appareant, & nominant nomen eius qui patitur, & sanatur.

Decimumtertium exprimentum inuocationis tale, accipe uas terræ in modum nucis magnæ, & claude ibi aquam, & scribe hæc signa ibi  : deinde ponat uas in sole, & dicat hæc uerba, Cereteus ualidus, cereteus obidus, cereteus pessimus, cereteus caldius, uel medius (in alio exemplari, cereteus omnis, cereteus similius) deinde interroget de quacunque re uoluerit, responsum habebit. Hæc ille:

Quid nam stultius excogitari potest, ut quod Nero tanta impensa, tot immolationibus, deductis ex Arabia magis, impetrare non potuit, hic quatuor uerbis simplicibus ostendere promittat? Ego siquidem aliena scire daretur occasio,

crederem

crederem non homines, sed mortales deos illos fore appellandos. At si dæmonum studio id fieri potest, adhuc nõ laudo: nihil minùs nunquam tales uidi, nec aliquem grauioris iudicij uidisse legi, sed errorum omnia plena sunt, quandoquidem inopia infœlicitate, amentiáq; cuncti laborare uidentur, qui his artibus, aut fidem, aut operam dant.

Post hæc etiam posuit uirtutes quarundam herbarum, quarum proprietas est ad expellendum dæmones, ad faciendum aurum, ad prolongandum uitam, usq; dum dixerit, Artesium uixisse annis 1025. ad suscitandum mortuos, deniq; ad omnia ea peragenda, quæ in solius Dei sunt potestate.

Hanc tamen historiam inueni in libro antiquo, pulcherrimis characteribus scripto, ex charta hœdina, quam pergamenam uocant. Et in eodem erant Euclidis data, quæ póstmodum in lucem prodierunt, sed uix post octoginta annos. Aderat etiam Campani liber de circulis, quem ego transtuli in opus perfectum, excogitatis rationibus arithmeticis. Cùm liber Campani exiguus esset ualdè & Geometricis solùm principijs inniteretur. Hæc uolui adiunxisse, quòd credam hunc librum olim alicuius fuisse existimationis. Aderant & multa alia, his quæ hîc scripta sunt absurdiora. Hæc negauerim his rationibus, quæ in principio huius libri sunt explicatæ, aliquem diuinando per hunc librum posse proficere. Quoniam quibusdam naturaliter indita est diuinatio, ut dictum est: sed & sensus aliquis artificiosus sub hac fabula latere potuit, quem ego hucusque non assequor. Volui tamen remissionis animi gratia, siue sit, siue non, inter tot seria hanc tam pulchram fabellam intertexere.

PRÆCANTATIONES.

CAPVT XCII.

Ad luxatos cantio.

MVLTA sunt in reb. admiratione magis, & in iudicijs hominum, & maximè eorũ, quos uulgus habet, colitq; pro sapientib. Huiusmodi sit, quod Cato ad luxatos scripsit hismet uerbis: Luxũ si quod est, ut excantes, hac ratione sanũ fiet. Arundinem prende tibi uiridem pedes quatuor, aut quinq; longam, mediam diffinde, & duo homines teneant ad coxendices. Incipe cantare in alio. S.F. motas donata daries dardaries astaries: die unà pariter usq; dum coëant. Ferro insuper iactato, ubi coiërint, & alteram altera tetigerit, id manu prende dextra, sinistra præcide. Ad luxum, aut fracturam alliga: & sanum fiet: & tamen quotidie cantato, in alio. S.F. uel luxato. Vel hoc modo, Haut haut haut ista pista sista, damiabo, damaustra, & luxato. Vel hoc modo, Haut haut haut istagis turgis ardannabon damaustra. Hæc senator inter primos, & censorius uir, quiq; maximas causas ageret, qui Rhodios in senatu defendit. Hic protinus ambitiosus Peritateticus statim insurget, audaciter negabit, ridebitq; Et hæc summa sapientia nostrorum temporum: facilè est negare quiduis, ut sapiens habearis. Non est hoc dignum laude, sed maxima uituperatione. Laude dignum est Catonis sententiam, quam nisi expertus esset, scripsisse non putarim: diligẽter expendere. Primumq; notas illas bis scriptas. S.F. explicare. Significant ergo, Scilicet fracto, ut sit sensus, In nomine patientis hæc dicito. Arundinẽ prende tibi uiridem pedes quatuor aut quinq; longam, mediam diffinde, coire certum est, nec solũm arundinis frusta, sed & arboris nucis

uellanæ. Vtrũ uerò sine his uerbis non satis constat. Quidam affirmant. Ego reor esse haud absimilem rem annuli motui. Propensa enim uoluntas ea frusta in unũ cogit. Res hæc breui absoluitur: unde subiecit: Dic unà pariter usque dum coëant. Qui absq; cantione coire affirmant, non in uoluntate tenentium, sed in proprietate arundinis uim hanc esse putant. Viuit enim, quapropter uiridis eligitur, non solùm ut inflecti possit, sed quia nihil quod uita careat, uim aliquam habet, nisi ad corpora uiuentia relatum. Quòd si ita est, oportet & alligatam duobus stipitibus idem præstare. Ego cùm expertus essem non inueni, temporis forsitan angustia. Cæterùm frusta ipsa seorsum reponens, uidi incuruata esse altrinsecùs. Viridia enim pleraq; si longa sint, incuruantur dum siccescunt. Siccescit autem arundo celeriter, ob inanitatem maximam, quam habet, & humidi proprij tenuitatem. Scripsimus autem de præcantationibus in medicis tractationibus, ut hîc breuior futurus sim. Simile forsan erit, quod in pullo expertum uidi in domo mea: scribunt hæc uerba, Gibel got gabel, imponuntq; rostro auis, inde stylo præacuto perforant illi caput recta in medio, exilitq; pullus, & uiuit, maximè in æstate. Causa huius est, quòd pulli caput, cerebrumq; bifariam est osse diuisum, os uerò ipsum in medio duplicatum, stylus penetrat, qua facilè potest, & ob id illæso cerebro uiuit. Existimat autem uulgus harum rerum imperitus, uim eam uerbis inesse. Sed si uis est in uerbis, cur non perforato capite hœdi, aut hominis, aut canis idem non contingit? uel si transuersim perforetur pulli caput? Ratio omnium est magistra. Nuper cùm hæc scriberem, scilicet pridie nonas Decembris, in domo Hieronymi Litæ ciuis nostri, ferebatur esse dæmon, qui tegulas lanam, taliaq; publicè in uiam proiciebat.

Pulli caput stylo terebrarum nõ moriente pullo.

bat. Accessi ego ad uicinum: & sciens, quòd spiritus carnem, & ossa non habet, dixi, hunc non esse dæmonem, sed hommem: cùm non persuaderentur, quia imperita plebs omnis boni ignara (mirum est) decipit, & decipitur. Dixi, si dæmon est, & inuisibilis, cur hoc idem non facit in uia? an potest eleuare & iacere tegulas, lapides autem non potest illis leuiores? Cur solùm certis horis, sub uesperam scilicet, emittit? an alio tempore dormit? Cur cùm hommes accedunt, non iacit: cùm recedunt, iacit? Non obscuræ sunt rationes sycophantiarum, si quis animaduertat. Quidam superstitiosi monachi collo appendebant chirographum ad febres, iubebant singulis accessionibus quasdam preces effundere, post tertiam accessionem iubebant benè sperare. Quis non uidet ludum? fides primùm plurimùm potest: deinde in acutis iam morbo adulto, uix potest fieri, quin morbus mutetur. Si Deus est aut dæmon, cur statim non facit. Et tamen facit (ut aliàs diximus) sed non ô improbe ex scripto, sed mente ac corde, & in his casibus, in quibus humana solertia uiam non inuenit.

Quartanæ cura superstitiosa.

Referebat quidam, se expertum curam quartanæ febris mirum in modum superstitiosam: nam totam urinam, quã in una uice hora accessionis minxisset, cùm farina pinsebat, edendamq; cani famelico totam porrigebat: ubi iter repetijsset, sanari hominem, canem quartana corripi affirmabat. Lædi canem, siccum alio quin animal, & simile à simili produci ob immixtam urinam, non negauerim. Quòd uerò sanatus fuerit æger, aliquis quidem fortuitò, aliquis ex fide, quam ex auxilio conceperat, aut dæmonis tacita pactione, aut ob sympathiam quandam.

Triticũ an uilescet.

Illud quoq; uulgatum apud Alexandrinos (Italiæ populum intelligo, non Aegypti) quo tritici precium explorant,

rant, uidetur'q; succedere. Calendis Ianuarij duodecim grana seligunt tritici sorte, uerrunt focum diligenter, ita tamen ut iuxta murum ignis ardeat: puellam quàm paruam è familiaribus, aut alienam accipiunt: iubent ut granum pro mense Ianuarij super solum, quod iam mundarunt, imponat: obseruant'q; si maneat, & absumitur: calet enim focus adhuc: tunc prædicunt precium mansurum: si parùm resilit ab igne, parùm uilescet: si multũ, multum: si uersus ignem feratur, carius erit eo mense: si parùm, paulò: si multùm, ita ut usq; in ignem feratur, multo. Inde in tabella, precij euentum notant, è directo mensis Ianuarij. Deinde iubent puellam secundum granum accipere pro mense Februario, atq; eodem modo obseruant euentum, donec expletus sit mensium simul atq; granorum numerus. Hîc igitur obseruandum, quòd fractum est, aut planè siccum, torreri in foco, nec resilire: quòd uerò integrum, & humidum est, resilit castanearum more, sed minùs quò exilius est frumentum, & tenerior cortex, ergo hoc totum naturale est, quod existimant superstitiosum. Vt uerò feratur huc uel illuc, causa est unde motus: resilit enim granum ad partem aduersam parti, in qua spiritus concipitur. Vt uerò succedat euentus, causa est in anima puellæ ex genitura, astris'q;, tum recursu temporum, ut singulare uniuersali fuerit conforme: unde hæc, & non illa, & hoc anno, non alio: atq; ita hæc fortuita sunt: nec uidentur iuuare, nisi ut referuntur ad illum, qui in diuitijs parandis fœlix est: aut ut excitant coniecturam temporum, quæ iacebat: unde postmodum ex naturali ratione certa præuisio, atq; prudentia oritur.

Cura prodigiosa Fernandi Cornetiæ.

Aliud quippiam scribit Lopez Gomara Hispanus, de Fernando Cortecia, qui ad Indiæ Occidentalis inuentionem multùm contulit. Cùm enim is morbo quasi desperato

puer laborabat, parentes eum uouerunt duodecim Apostolis, ductaq; sorte exijt beatus Petrus, cui solennes quasdas oblationes obtulerunt, missas uocant, aliaq; sacrificia: atq; ita puer hic seruatus, qui diuum hunc coluit, & maximis negocijs inde clarus euasit. Itaq; constat cum religione mixtam fuisse superstitionem, piam tamen, & quæ Deo propitia inde sit, nõ solùm euentu ipso, sed ratione illa, qua Deus singula opera nostra, non ex ipsorum natura, sed pietate operantium metitur.

Verùm his, quæ ad Deum ex fide pertinent relictis, præcantationis uires alibi præcipuè in tria retulimus: dolum cum causa naturali, sympathiam, uel antipathiam, & affectus animæ. Porrò naturalium causarũ duo manifesta prodam exempla in equis, quæ constat naturalis curæ partes esse, & tamen haud dubiè pro præcantatione, ab omnibus haberi. Distorto equi crure, sed non luxato, aqua frigida affatim aspergitur membrum dolens, obmurmuratis quibusdam uerbis, repeturq; tribus diebus: sicq; tum mora, tum aqua obtundente sensum, & naturalem calorem intus reuocante, curatur plerunque: id euenturum sanè etiam citra uerba. Similiter cùm equus morbo, quem uermem uocant, detinetur (qui nam autem sit suprà explicatum est) misso sanguine è collo, tum utroque illo, atque eo copioso, tribus diebus Veneris continuis, furfur hypericoni immixtum dant, sacrificium maximum nostræ religionis adijcientes: quasi si Deus est, qui ob sacrificium curat, hypericonis auxilio indigeat: aut sacrificium maximũ pro unius equi salute sit celebrandũ, uel Dei auxilium frustari possit: quod tamen in hac cura, ut in cæteris, nonnunquam contingit: cùm tamen constet hoc curationis genus iuxta medicorum præcepta optimum esse, sanguinem mittere copiosum,

sum, & pluribus ex partibus, & medicamento exsiccante uti.

DAEMONES, ET MORTVI.

CAPVT XCIII.

NVLLA *tam difficilis, nulla tam nobilis tractatio est, quàm ea, quæ de dæmonibus habetur. Nam illis admissis, protinùs superstites animi declarantur: illis sublatis: necesse est, & animos unà cum corpore interire. Sed cùm hæc ratio altior sit, quàm ut ad libros de uarietate rerum pertineat, illa reiecta ad tractationem de Aeternitate, sufficiat hîc titulum titulo coniunxisse. Scilicet ut de dæmonibus simul ac mortuis loquamur. Idq; præsertim hac de causa, quòd unum ab altero seiungere in experimentis non liceat. Quæcunq; de dæmonibus dicuntur, ad mortuos transferri possunt: & rursus quæ de mortuis, ad dæmonum illusiones. Verùm difficultatis causa est, quòd eiusdem possunt effectus assignari uaria principia: scilicet dæmones, seu mortui natura, cœli quædam propriè uis, ac techna. Ecce auditur strepitus in domo, potest esse mus, felis, ericius, aut quod tigna subsidant blattæ: rursus dæmon, aut umbra alicuius affinis. Potest & esse aliquis, qui conficta machina strepitum illum efficiat. Potest & uis quædam cœli hoc efficere, aut cõmoto aere uiolentius aut sensibus, ut nihil extra teipsum exaudiatur. Similiter, & in luminibus, & spectris, ac sacrificijs. In omnibus enim quatuor, imò quinq; hæ rationes militant, naturæ ordo, ut animalia, & graue aliquid: uis cœli peculiaris: perculsa mens ab imaginibus, uaporib. humorũ, & affectibus: techna humana, cũ imponere credulis ac timidis sperãt: &*

Omnium sentiuntur quinq; causæ possunt assignari.

dæmon, aut mortui umbra quæpiam, aut miraculum: nam omnia hæc pro eodem habenda sunt, quòd qui horum unum negant, omnia negant: qui admittunt, etiam omnia admittunt. Præsertim uerò in quandam peculiarem uim naturæ, aut cœli referri debere uidentur, quod quidam uident, quidam non: quidam audiunt, quidam non: quidam omninò sentiunt, alij nihil. Ob hæc igitur leges omnes, præter Saduceos ex Iudæis, & Platonici Stoici concordes, dæmonas & mortuos, & uera miracula esse existimant. At contrà Epicurei, peripateticiq; negant. Adeò confusa & ardua hæc quæstio est, tum uerò maximè necessaria, ad uitæ constituendæ rationem. Nam si dæmones sunt, etiam animus ipse superest, quare fortiter agendum: minimaq; portio nostri hæc uita erit. Atq; cum ea diuitiæ, honores, potentia, gloria, seu fama, imò etiam filij. Ob id nihil mirum est, quosdam tam fortiter, imò sponte tulisse filiorum mortem. At si nihil superest, tota spes in hac uita erit collocanda: ut nunc plerique faciunt. Atque hæc generaliter prælibasse sufficiat.

Quæstio de dæmonib. omnium utilissima.

Nunc igitur statuendus est modus processus, cùm ob difficultatem facilè labamur, & ob rei magnitudinem lapsus non parùm periculosus existat. Ex hoc enim & ciuitatum gubernatio, & bellorum administratio, & sacrificia, & omnia reliqua, quæ ad humanam fœlicitatem pertinent, pendêre uidentur. Plato quidem non conatus est ostendere rationibus dæmonas esse, nec qui eũ secuti sunt, quoniam nulla demonstratio adduci poterat: probabiles uerò rationes illud fundamentum infirmius reddebant, quod experimento innititur. Satis enim constat, neminem tentaturum ostendere ratione, quòd ignis sit, aut cœlum, aut monoceros, quanquam nobis inuisum animal, sed experimento id

Cur Plato pō conatus est probare dæmonas esse.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-30760-p1162-6 DFG

to id docet: fide dignorumq; relationibus. Fide dignus autem est Socrates, cui credatur: ut Platonis, Platonicorumq; omnium hoc unum sit fundamentum, Socrates adeò uerax fuit, ut etiam mentiri pro uita seruanda nollet, aut aliquid turpe facere: sed Socrates dæmonium se habere palàm affirmabat, non semel uisum, sed toto tempore uitæ suæ illi familiarem, qui semper eum dehortaretur, hortaretur nunquam, igitur dæmones sunt. Ob hanc eandem causam fermè Aristoteles ab hac disputatione abstinuit. Si enim negasset, uidebatur Socrati aduersari, illumq; mendacij coarguere. Et quamuis dissimulatorem esse affirmet, turpe tamen uidebatur illum falso & absque euidenti ratione accusare: tum maximè quòd plus iusto uideretur in Platonem inuectus. Neq; argumentum illi erat forsan, ut uidebatur, efficax ad ostendendum dæmonas esse. Aduersabatur & palàm legibus, & sacris, & Pythiæ, ut impietatis nomen & periculum à plebe subiret. Eoq; magis quod Platonem uideret ob hoc acceptum, quòd dæmonum opinionem inuexisset. Nec abs re fuerit credere aliqua illum uidisse, quæ huic opinioni, quæ de dæmonibus habetur, faueret. Satius igitur existimauit, cùm multa gloriosè scripsisset, & disputasset, in ancipiti causa haud periclitari. Quòd si Socrates quale istud esset dæmonium explicasset, haud dubiè tantam hanc difficultatem sustulisset quærendi an essent? Verax enim fuit, & nobis longè melior. Nos autem non recordamur unquam mendacium dixisse, nec si pro uita tuenda dicendum esset, diceremus: cùm tamen multò magis uitam, gloriam, filios, diuitias q; Socrate diligamus: ut non ineptum fuerit Platonis argumentum dæmonas ex relatione, non opinione Socratis astruentis: quandoquidem nõ esset, cur Socrates mentiretur, si modò constaret, quid Socra-

Plato quomodo ostẽdit dæmonas esse.

Aristoteles cur de dæmonib. nihil tractauit.

tes per dæmonium intelligeret. Nam non desunt, qui rationem interpretentur: alij etiam omen, ac sternutamentum.

Modus ꝓcedendi in quæsito, an dæmones sint.

Expedit igitur postquam Socrates non se explicauit, nos uerò quantacunq; diligentia nihil adhuc uidere potuerimus, ut rem hanc sedulò inquiramus. Atq; Aristotelis exemplo in primo Primæ philosophiæ, qui opinionem ponentium ideas prius explicat, qualesq; statuerent, dæmonas, etiam si non sint, quales esse ab his, qui eos ponunt, existimentur. Deinde quas rationes assumere oporteat, quæq; experimẽta suspicione carentia, cùm (ut dictum sit) tot obstent: & demum quibus credendum sit testimonijs. Nam si nulli prorsus, inusitatum est, nec quicquam rerum antiquarum, aut absentium, quas non uiderimus, credere licebit.

Dæmones cur inducti.

Si omnibus in dissonam absurditatem incidemus. Præstat autem primùm scire, cur dæmonum opinionem, etiam si non essent, quidam tamen libenter inuexerint, uelut leges, Platonici, Stoiciq;. Porrò non una ratione omnes illos induxerunt: sed leges ad terrorem & confirmationem eorum, quæ supra naturam, & contra sensuum perceptionem esse affirmant. Platonici, ut alijs præstantiores uiderentur, & quodammodo scire, quæ alij nesciant, ac consuetudinem habere meliorem. Simul etiam, ut iucundiorem uitam agerent, hæc commenti in quibus delectarentur, ad solatium ærumnarum, quæ nobis sine numero eueniunt. Sic chimistæ, uetulæ, ac qui miseram agunt uitã, uana spe lactantur. Et de his, quæ esse non possunt, tanquam præsentibus loquentes, mirum in modũ animi affectus iuxta spem, & metum hunc inanem mutant; obliti uerarum calamitatum. At Stoici, ob Socratis studium, uenerationemq;, & ut animum nostrum firmiorem tanquam diuinum esse declararent: atque ob id cõsentanea magis opinioni suæ, quæ fœlicitatem

ponit

ponit in sola uirtute. Cætera autem omnia, indifferentia appellant. Nec hac in causa mendacium ueriti, & si cõtingat dicere: cùm opinio de dæmonibus prosit, & illi, qui eam habet, & alijs. Ei quidem, cùm miseriarum sit solatium maximum, alijs uerò, cum quibus uersatur iustior, & humanior est, ob spem futuræ retributionis, & quia credit actiones suas omnes in conspicuo esse. Fortiores etiam pro patria & iustitia. Omnibus autem his commune est, ut uerissima se tradere existiment. At qui dæmones negant, non minùs ambitiosè, quàm qui illos esse affirmant, se gerunt. Vt scilicet quicquid agant, gratia uirtutis solùm, non spe aliqua ducti, agere uideantur. Et ut ueritatem diligere maximè homines eos credant. Quò fit, ut in maximas contentiones deuenerint. Igitur his relictis, ad rem ipsam redeamus, quæ est: utrum dæmones & animæ defunctorũ sint, néc ne? Qui uerò dæmones esse crediderunt, trifariàm diuisi sunt. Alij enim immortales, & omnes malos esse putant, ac imbecilles, ut Psellus: qui cùm esset Christianus, Christianorum opinioni, necnon experimentis multùm adhæret. Alij mortales, alios q̃ bonos, alios malos, potentes, sed tamen qui metu mortis sibi prospicerent: atq̃ hanc opinionem dæmon patri meo narrauit, docuit q̃. Tertia est Platonicorum, qui eos immortales, potentes q̃ ac nobis familiares, partim q̃ bonos, partim malos esse affirmant. Breuiter igitur singularum placita enarrabo, à Pselli opinione initium ducens.

Dæmones esse, tribus modis creditum est.

Inquit igitur ille in libello de dæmonibus. Dæmones sunt perpetuæ mentes cũ corpore passibili, atq̃ adeò ut pulsata doleant, & igni admota cõburantur: quod q̃ maius est, cineres relinquant. Hoc q̃ Hetruscorum historijs traditum esse. Cũ uerò in Cherroneso diuersaretur, ab homine solitario nomine Marco multa perdidicisse, atq̃ inter cætera dæmonas,

Pselli opinio de dæmonibus.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-30760-p1165-3 DFG

monas, licet membro uirili careant, attamen seminis aliquid emittere, ex quo etiam animalia pusilla generentur. Esse autem sex illorum genera Leliureon, id est, igneum, quod in sublimi aëre uersatur, minusq; noxium, & ad peccandum pronum. Aëreum, quod circa nos, & quod deterius est primò, tamen & peccati pœnitentia agitur, ut homines. Terrenum, quod non secùs ac homines circa terram uersatur, prauorumq; morum est. Aqueum, quod in mari fluminibus, & lacubus habitat. Excitat tempestates, & multis modis natigantibus insidiatur. Subterraneum, quod in puteis, & specubus degit, insidiaturq; fossoribus. Lucifugum uerò omnium pessimum, quod morbos etiam frigidos incutit. Commune est omnibus ali, aut aëre, aut humore, sed non ore, uerùm exsugunt uelut spongiæ: aut illum aërem scilicet per meatus quosdam trahunt. Omnes quoq; Deum oderunt, & hominibus aduersantur, sed plus longè lucifugum, subterraneum, & aquatile. Qui etiam adeò corporei sunt, ut tangi queant, & aliquid excremẽti loco excernant. Nulli etiam dæmonũ fas est cœlum lunæ ingredi. Qui ergo sub aquis & terra latitant, lucifugiq; corpora hominum lædunt, & in discrimen adducunt. Terreni uerò, aëreiq; in flagitia animas hominum impellunt. Maximam autem omnium esse multitudinem, cùm terra, aqua, & aër, præsertim ubi homines non habitant, his plena sint. Suggerunt autem spiritui nostro imagines uoluptatum absq; sono, uelut si quis in aure percipiat uocem absq; sonitu. Vt enim propinquior uox est auri, ita melius eam percipit, minùs autem soni. Cùm igitur spiritum nostrum dæmon tangat, optimè percipitur dæmonis suggestio, ac uerba absq; ullius uocis auditu. Similiter & species referunt animæ nostræ ac spiritibus, uelut etiam aër, colorum, & aliarum rerum formas

atq;

atq; imagines. Hæc igitur artificiosè expugnant nos, etiam titillationem ueneris immittentes, præsertim si corpus calidum fuerit, naturaq; salax. Cætera genera solùm nocent corporibus quantum possunt, arte autē omni uacant. Perdunt uerò igne, ruina, aquis, casu, alijsq; modis: nec solùm homines, uerùm & reliquorum animantium nonnulla. Qui igitur in profundissimis locis, siccisq; habitant, calorem expetunt non ignis aut solis, sed mollem: unde in balneas, foueasq;, & animalia, & præcipuè homines, ingrediuntur. Et ubi ingressi fuerint, corrumpunt cerebri spiritus, & actiones uitiant: & dominantes spiritui, uibrant corpus, & instrumentis illius utuntur, unde loquuntur & clamant. Quod uerò lucifugum est, immensa frigiditate obtundit omnes sensus, & reddit stupidos, & mutos: ob id etiam nec carminibus mouetur: est enim hebes, & obstinatum. Non esse autem humorem, sed dæmonem, qui hommem possideat, argumento est, cognitio uenientium antequam uideantur, & futurorum, tum linguarum alienarum. Referi inter reliquos Psellus, uidisse se hominem à quodam Aleto Liuio deductum in montem nocte, sumpsisseq; herbam, ter etiam spuisse in illius os, illinisse quoq; certo ungento oculos, exindeq; illum, qui deductus fuerat, u disse dæmonū turbas, atq; coruum in os quasi sibi inuolantē: ex qua hora cœpit futura prædicere, totoq; tempore id posse, præterquā diebus, quibus Christus crucifixus ac resurrexit, quibus nullo studio uaticinari poterat. Cùm hæc narrās irrideretur à Pselli comite, inquit ille. Et tu pro una plaga multas accipies. Quod & euenit breui, tum multa alia, quæ alijs quoq; prædixerat. Marcus uerò referebat quandoq; cognatam suam maximi fratris sui uxorem, modestam alioquin fœmmam: Sed quæ sæpè ægrotaret in puerperio, cœpisse barbarè loqui,

qui, lacerareq́ uestes: quod cûm astantes admirarentur, illamq́ curari uellent, adducto peregrino quodã nomine Anaphalangia, sene rugoso, exusto, nigroq́: illum euaginato ense, illaq́ manu apprehẽsa, Armenicè cœpisse cõuiciari: at illa statim Armenicè respondit, uoluitq́ è lecto prosilire cũ illo certatura. Coniurante autem illam sene, deliberata est. Quæ postmodum dæmonem cûm lectum ingrederetur, se uidisse affirmabat in formam mulieris, expansis capillis, tenebrosum, qui in se irrueret: postmodum eorum, quæ peregisset haud meminisse. Itaq́ dæmones licet sexu, & propria lingua careant, corpus tamen illud aëreum sibi concessum: pro arbitrio, uelut nubes uento flante, in uarias formas mutant, contrahuntq́ atq́ extendunt. Coloremq́ iuxta sui animi affectus mutant, uelut & homines, sed longè meliûs, ut qui corpus animæ obedientius habeant. Omnia tamen celeriter dilabuntur, ob corporis mobilitatem, tenuitatemq́. Aër enim aut modicus cum eo humor, corpus eorum. Nec uerò minûs prudentia, & sapientia differunt inter se dæmon à dæmone, quàm homo, equus, cuniculus, leo, mus, culexq́: adeò disparata sunt dæmonum ingenia, ut quidam sapientissimi, & futurorum præscij: alij uerò præsentium uix unum duntaxat genus, agnoscant. Itaq́ ignei, aëreiq́ uarias suscipiunt formas, nec diu in illis morantur: præstant tamen quæ illis conueniunt benè. Vt si regis, sceptrum, ornamenta, grauitatem, prudentiam in responsis: si leonis audaciam, rugitum, terrorem: lucifugi uerò diu proprias retinent formas, ac subterranei, nec expressè imitantur. Terrei & aquei, medij sunt inter hos in omnibus. Sed tamen aquei fœminarum, & auium, inde nymphæ. Nereidesq́: terrei in homines & canes, sub hisq́ formis diu manent, quia eis plurimûm delectantur: linguam uerò nullam

pro-

propriam habent, sed illa utuntur plerunque apud quos habitant. Omnium uerò dæmonum natura timida est ualdè, semperq; in profundiores tenebras detrudi uerentur: unde minas & barbara uerba cùm non intelligant, maximè subterranea uitantes ac formidantes, relinquunt homines: plusq; hæc timent absurda, adeò ut plumbo, cera, tenuiq; filo uinciri se uereantur, quàm si ueris carminibus, sacrisq; tententur. Solent autem & lapides iacere, sed irritis ictibus. Causam ego adijcio, quia non ui ulla iaciuntur, cùm eis modica sit uis, sed deferuntur, ut à uento: itaque non lædunt sed terrent, ut causa sit omnis, quòd non lædant imbecillitas ac timor ingens, ut neque tentare ausint, quæ possint, nisi prouocati. Sed ad Psellum & Mareum redeo. Aërei itaque dæmones licet prudentes, nihil tamen boni afferunt: sunt enim fallaces, superbi, & iactabundi. Qui cùm aduenerint, lucem quandam, & ignis radios imitantur, quanquam in tenebrarum principibus nulla possit esse uera lux. Adducuntur autem excantati, ut statuas ridere faciant, lampades sponte ardere, & quod frequentissimum est apud Assyrios, in pelui aqua plena uaticinantur. Facilè enim illo, ut etiam dicturus sum inferiùs, apud nos etiam euocantur. Nec ullus euocandi modus notior, etiam his temporibus, regionibusq;. Sed nos, ut docebimus mox, urceo uitreo pro pelui utimur. Impletur ergo peluis, & primò quidem sonitus tenuis absque uoce auditur, qui signum est ingredientis dæmonis: pòst aqua inundante uoces exiles audiuntur, quibus responsa dant petentibus: opera data exiles admodum, nec coargui mendacij possunt in his, quæ non norunt. Vagantur autem hi passim, quoniam ex Solis ordine sunt. Cùm uerò totum dæmonis corpus sensibile sit, uideat, audiatq;, eò quod & in nobis auditus est

Dæmones saxa iacientes cur non offendant.

per

per aërem, uisus per perspicuum, dæmonis uerò corpus u-trunq; obtineat, ob id diuisum læditur, doleq;. Et ob id tum etiam innatam timiditatem (ut dixi) metuit mirum in modum arma & enses. Atq; hæc Pselli de dæmonibus opinio est. Nunc ad paternam accedamus.

Facij Cardani opera tio de dæmonibus.

Facius Cardanus dæmonem æthereum, ut ipse dicebat, diu familiarem habuit: qui quamdiu coniuratione usus est, uera illi dabat responsa, cùm autem illam excusisset, ueniebat quidem, sed responsa falsa dabat. Tenuit igitur annis, ni fallor, uigintiocto cum coniuratione, solutum autem circiter quinq;. Vt ut res se habeat, dum astrictus esset, commodum se satis exhibebat: atq; is saltem dæmonas esse fidem faciebat, quod diligenter omnia inquisierit ab illis. Neq; enim solus semper, licet plerunq;, sed aliquando cum socijs etiam ueniebat. Is igitur in plerisq; cum Psello concordabat: cum Platonicis autem de quibus dicturus sum, minimè. Sed tamen & à Psello in aliquibus, & magni momenti dissentiebat. Primùm quidẽ, quod nasci, & interire illos dicebat. Esse autem longæuos ualdè: tempus tamen illi non docuerunt, sed ipse coniectura ex facie sumpta, quod iam quadragintaduos annos natus ualdè iuuenis uidebatur, eos ad C C, aut C C C annos uiuere existimabat. Gignere & nasci, & senescere affirmabat. Cumq; interirent, animos illorum, & item nostros, mori unà cum corpore putabant: neq; tamen illos hoc certo scire. Gymnasia apud illos esse, & reliqua, quæ aliàs recitaui. An uerò essent aliqui adeò uiles, & stupidi, ut Psellus ait, non dixit.

Platonicorũ opinio de dæmonibus.

Platonici uerò, ut Plotinus, Porphyrius, Iamblicusq;, quorum alter alterius magister fuit, sic ut Porphyrius esset in medio, dæmones existimant dijs proximos atque æternos: sic ut quatuor cõtinuo ordine statuant, deos, dæmonas,

nas, heroas, & homines: omnesq; cũm corpore & mẽte: mentem quoq; omnium immortalem. Sed Deos quidem corpore cœlesti, reliquos elementari. Dæmonum uerò & heroũ, ut & hominum, bonos quosdam, quosdam malos. Dæmones bonos assistere etiam in hominibus, & illos dirigere ad opera bona: tueriq; eos ab improbis malisq; dæmonibus. Inter heroas & animas, principatus ac principes collocat. Sic ut dæmones generalia deorum mandata exequantur: heroes hominibus præsint, præcipuè inclytis: principatus administrent regiones: principes autem ea curent, quæ ad generationem pertinent: animæ uerò, iuxta merita: optimæ enim angelis assimilantur, prauæ malis dæmonibus. Constituit autem ordines nouem præter animas, quæ in nullo ordine reponuntur, cùm iuxta qualitatem earum, conditionem sortiantur. Primus est Deus, qui omnibus omnia dat: inde dij secundi incorporei, qui & ideæ, qui omnibus aliquid dant: inde animæ corporum cœlestium, quæ corpus habent immortale: post archangeli, inde angeli: post dæmones, qui sunt ministri inferiorum, ut archangeli & angeli superiorum: post heroës, inde principatus, & principes. Dæmones & reliquæ inferiores mẽtes, omnes habent uaporis aliquid, quia in sublunari regione morantur, animæ uerò etiam maculas: omnia possunt uideri præter summum opificem Deum, & deos qui eum proximè sequuntur incorporeos. Heroës igitur genij sunt, aliquando tamen dæmones. Refert Porphyrius Plotinum aliquando magistrum suum ab Isidis sacerdote Romæ inuitatum, pollicitumq; illi ostẽsurum proprium genium, quòd & alijs facere solebat. Itaq; cùm uenisset Plotinus, & ille peregisset cõsueta sacra, apparuisse genium: & continuò sacerdotem exclamasse, Beatus es Plotine, qui pro dæmonio genium habes Deum.

Sed ad rem reuertor: dæmones boni uerè apparent, improbi uerò alienam induunt formam, falluntq́ homines. Intelligo autem nunc dæmonas generali nomine, ut sub eis heroës, principatus, & principes contineantur. Itaq; à dæmonibus fabricari corpus nostrum & elementa congregari putant, esseq́ & dæmonem inter dæmonas omnibus imperantem, uelut in unoquoq; ordine bene constituto. Exorant autem homines dæmonas, quoniam natura sunt inferiores: imperãt uerò illis, ut Sacerdos, ob sacra religionemq́ue, Dei uices agit. Aliquando etiam puritate mentis iunctus supremis substantijs absque intermedio. Aliâs autem ui carminis sacri, eam obtinente potestatem, ut cùm pauperes à principibus petunt aliquid per diuinum numen obtestantes. Verùm improbi dæmones animæq́ impuræ, & adhuc circa terrena obuersantes plurimum possunt in hæc terrena, corpusq́ nostrum atque illud in illicitam uenerem sollicitant. Gaudent autem cuncta similibus: dij, angeliq́, quod materia careant, putris sacrificijs, imò sola mẽtis oblatione. Qui autem maximè corporei & impuri, ut dæmones: & ex his quicunq; circa nos uersantur, animalium oblatione. Qui uerò medij, medijs, ueluti thure. Vt igitur omnibus satisfaciamus, omni sacrificiorum genere utendum est. Tumq́ maximè quod ad deorum cultũ per media progredimur. Ob id igitur in omni fermè sacrificio ritè peragendo uictimis opus est. Et licet gaudeant animalium cæde, cæsisq́ in honorem suum; alio tamen modo cæsa, aut sponte mortua abhorrent. Anima enim belluæ inseruit occisa in dæmonis nomen ipsi dæmoni: mediumq́ fit ad conciliandum uatem cum dæmone. Sed hæc tamen uaticinia de leuibus, & breuibus rebus sunt, quia impura. Gaudent autem dæmones diuersis animalium generibus. Formidant

autem

autem inanes minas, ueluti si dicant, scissuros cœlum, uel occulta Isidis patefacturum, aut arcanum in abysso reconditum patefacturum, aut dispersurum, membra Osyridis Typhoni dispersurum, aut quod sistet Barim, id est, nauim sacram, taliaq; quæ omninò esse non possunt. Hoc autem quadruplici ratione: primùm quòd sensum quidem uerborum percipiunt, quæ illis magna uidentur, non tamen percipiunt posse nequaquam talia fieri, ideò timent: habent enim intellectum similem artifici (inquit Iamblichus) egregio, qui quidem uerba intelligit, & ipse rem cui præest optimè administrare tractareq; nouit, ad alia tamen stupidus est. Et etiam quia sacerdos cùm talia dicit, in memoriam reuocat deorum potentiam, quorum tũc uices agunt: formidant autem illos, uel si ab alio quopiam perperam nominentur. Et etiam quia irascuntur talia audientes, uelut homines probi, qui cũm audiunt petulantes, discedunt, cùm tamen ulcisci possint. Accedit, quòd adeò timent arcana illa reuelari, & perturbari principatum, quo regunt mundi partes, ut statim audientes uerba de hoc, quamuis difficillimum hoc esse existiment, statim abeunt. Sunt enim principatus plerunque qui sic adiurantur, & increpantur, ut ille ait. Est autem unicuiq; proprius dæmon ab initio, cùm anima sensim in corpus descendit, addictus ab uniuerso, prout sunt loca per quæ anima ipsa ut corpori alligetur, transit. Atq; hic animam corpori alligat, illam tuetur, instruit, ad omniaq; opera dirigit, eousq; donec sacris operibus pro dæmone custode, Deum aliquẽ sortiatur. Tunc enim dæmon custos imperata Dei facit, & illi obediens, unà secũ cooperatur ad bene instruendam, erudiendam, protegẽdamq; animam. Si quis aũt temerè de genera dæmonum loquatur, præsertimq; eorũ ducibus, quòd natura deorum

ſupra noſtram ſit, terroribus impletur. Mali quoq; dæmones nos à bonorum commercio, tum etiam deorum, auertere perpetuò conantur. Semper autem dæmon nobis perfectus aſsiſtit, nec unquam mutatur. Porrò Socrates habuit quem audiret, ut in Theage expreſsè. Inducitur enim Socrates, qui hæc uerba refert: Adeſt mihi diuina quadam ſorte dæmonium quoddam à prima pueritia me ſecutum: hoc enim uox eſt quædam, quæ cùm fit, eius quod fit, diſſuaſionē innuit: prouocat uerò nunquam. Quòd ſi quis amicorum aliquid mecum quandoq; communicat, uenitq; uox, hoc illa diſſuadet, neq; facere ſinit. Cuius quidem rei teſtes dabo. Charmidem uirum bonum Glauconis filium noſcitis: hic cùm aliquādo in Nemea exercitaturus, in ſtadio mecū communicaret, ſtatim affuit uox: ob id diſſuaſi, edicens me à dæmonio monitum: ille non obtemperauit, ſcitis quid ex ea exercitatione ſecutum ſit. Similiter & Timarchus cùm illū è conuiuio uolentē ſurgere, ob uocē bis retinuiſſem. At ille cùm clàm ſe ſubduxiſſet, occidit Niciam Hiroſcamandri filium: cumq; ob id damnatus eſſet, inquit fratri, ô Clitomache morior, quòd Socrati obtemperare nolui. Audietis etiam ab his qui in Siciliam iuerunt, quæ de exercitu prædixerim. Sed hæc de præteritis: de futuris autem, exiuit Neonus Cali filius in expeditionem cum Thraſylo aduerſus Ioniam & Epheſum militaturus, me ob ſignum dæmonis contradicente: quamobrem illum exiſtimo interfectum iri, aut tale aliquid paſſurum, & etiam de toto negocio timeo. Hæc ille: de quo referunt, quòd dæmon eius fuerit principalis, igneus, Saturniusq;. Aetherius enim, qui igneus ab alijs appellatur, ad contemplationem excitat & erigit, ut aëreus ad negocia, aqueus ad uoluptates. At in his ſunt Saturnij, qui ſemper diſſuadent, ut hic Socratis: Martis, qui fortitudinem

Hiſtoria dæmonij Socratis,

dinem præbent: Iouij, prudentiam: atq; ita de alijs. Non esse autē omnes immortales, sed ætherios, aéreosq; ac nobiliores: reliquos uerò & si sint mortales, attamen maximè longæuos. Vniuersum uerò genus mediū esse inter deos & homines. Vt deorum quidem beneficia ad nos deferant, nostras autem preces, & opera bona uicissim ad illos. Esse autem quosdam, quasi nobis congenitos & naturales: alios quasi peregrinos, qui nihil aliud sunt quàm animæ humanæ uagantes per elementorum regionem. Dæmonios autem uiros solùm suos dæmones, sibi ad custodiam datos agnoscere: sed hi pauci sunt: cæteri qui ciuilib. negocijs sunt mancipati, & qui ferales sunt, quorum maxima est copia, hi omnes suum dæmonem agnoscere non possunt. Quare autem nunc miracula non ædant, Christi aduentum obstare. In statuas descendunt, uelut imago quæ non à pariete sed à speculo reflectitur: ita statua fabricata magica ratione recipiebat dæmonem, poterat q; loqui & moueri sponte. Alio euidentiori exemplo: corpus in utero præparatum animam recipit à Deo, ita statua præparata materia dæmonem ab uniuerso. Cur autem statuas effinxerint, Trimegistus ait, ut per illas dæmones esse scientes, ad deorum cultum conuertantur: cognoscentes aliquid esse quod nostras operationes animaduertat, licet inuisibile. Quare autem in corpora hominum dæmon ingrediatur, quoniam uelut ob diuinorum cōtemplationem homo fit deorum domicilium: ita per malas cogitationes et sordidas, quæ uel à malis proueniunt operibus, aut ab atra bile, fit cacodæmonum domus ac sedes. Non fuisse autem Socratis dæmonem mentem ipsam, constat ob uocem: & quia solùm ad unam partem flectebatur, scilicet dissuadentem: mens autem ad utranq; inclinari solet. Accommodatam uerò naturam, dæ-

monis assidentis animæ cui assidet, & quàm deduxit in corpora, palàm est. Vnde etiam Saturninum Socratem fuisse, certum est, atq; consimilem suo dæmoni. Quidam tamen aliorum aduenarum dæmonum auxilio, aut perturbatione uitam agunt dissimilem naturæ dæmonij assidentis. Opere in opus deducente per dæmonis ei operi præsidentis familiaritatem. Quem dæmonem superius principem uocari docuimus. Is enim pluribus simul præest, & aliquos à proprijs negocijs auocat, non secus ac magistratus facere solent. De dæmonum autem generatione, Plato censet eos deorum esse filios, sed generationis modum haud facilè posse explicari: natura uerò potest. Sunt enim dæmones ingeniosi, memores, mirabilisq; prudentiæ, cogitationum nostrarum gnari, amatores ualde bonorum, & eorum qui uitam honestam agunt: improborum autem hostes acres, utpote qui doloris sint participes. Animo quippe discruciantur & ipsi: & ob leuitatem corporum ascendunt descendunt q;, & diuis communicant consilia, norunt q;. Vicissim uelut & humana, ut nuper diximus. Omnes autem clientibus suis fauent ea in parte qua præcellunt: præcellunt autem in diuersis, alij prouidentia, alij puritate, alij constantia, alij generatione, alij moderatione, alij opificio. Ea etiam in parte qua delinquunt homines, à bonis etiam operibus retrahunt. Futura autem sciunt quædam, alia nesciunt: quæ tamen sciunt, certò sciunt: & quo dijs proximiores, firmius & longè plura. Et hæc solùm ut reliqua communicare solent puris animis, atq; repurgatis. Vnum uerò adijcere licet quòd Socrates dæmonem suum, quòd uerax esset & princeps ac dux, Deum persæpe uocabat, ut etiam in Apologia. Solebant autem sacerdotes carduis ostendere dæmonas, tauro custodire se ab incursu malorum dæmonum,

corde

corde talpæ præsagire, sulphure & aqua marina se purgabant: adamante, iaspide, corallo, scilla, raccino (genus est uirgulti spinosum) ad auertendum uti. Nempe mali dæmones omnes malos affectus hominibus suggerunt: cupiditatem diuitiarum, illicitarum uoluptatum, mendacij, fraudis, cædis, ac talium. Cùm enim tales sint, dij uolunt uideri, unde prodigia ostendunt, cupiunt adorari, & ueneficiorum sunt authores. Animæ uerò uiolenter occisorum, peculiare hoc habent, ut corpora diligant, & ob id toto corpore aut parte aliqua solent multi auocare illas circa ea uersantes. Et non solùm hæ, sed & aliorum animalium: unde quiuaticinari desiderant, corda ceruorum, talparum, aquilarum, ac talium uorabant, cum quibus anima horum animalium, animam humanam ad futurum dignoscendum in eo genere edocebat. Veluti de pluuia à ranæ corde, quòd ranæ imminentes pluuias præsentiant. Non enim unius generis animalis corde deuorato uniuersa præcognoscũtur, sed solũm quæ ab illo animali præcognosci solebant. Extenditur tamen etiam præcognitio ad alia, quòmam natura humana, omnium quasi particeps est, & generalis: reliquæ autem certi cuiusdam generis. Hæc igitur est opinio Platonicorum de dæmonibus atq; anima, à Mercurio Trimegisto originẽ ducens, deinde à Byto illius expositore, prophetaq;, ut ipsi dicũt, cæterisq; sacerdotibus amplificata declaratáque: pòst apud Græcos instaurata per Socratem primò, inde Platonem, & pòst per Plotinum, Porphyrium, Iamblicumq; ac Proclum aucta, demum per Marsilium Ficinum Florentinum medicum, ad nos tandem deuoluta.

Modus habẽdi uerita tẽ p testes. Cap. 15.

Reliquum est nunc ut uideamus, quibus rationibus hæc res aut experimentis posit comprobari. Circa experimenta quidem postquàm non nisi ea, quæ superius adduximus,

nobis percipere licuit, necessarium puto testimonijs certis uti. Porrò talia sunt quæ uel prudentia, & integritate prædita sunt, nec ulli opinioni addicta, uel quæ à pluribus seorsum examinatis consentientia habentur: uel si à minus fidedignis, attamen tormentis eruta, aut ex multiplici interrogatione, sæpiusq; magno tēporis interuallo repetita. Quippe ubi fabula sit, fieri non potest, ut sic interrogatus, etiamsi nihil unquam aliud medio tempore meditatus esset, eadem omninò respondeat. Pater meus fuit ex fisci aduocatis: non minus absq; tormentis solitus erat cogere reos fateri ueritatem, quā alij cum exquisitissimis cruciatibus. Ego cùm neq; liceat, neq; si liceat, licere uelim talia scire cum iactura hominum, eò plus diligentiæ adhibui, ut non mihi, qui author sum libri technarum, imponeretur. Oportet autem uiros eligere qui neq; sint miseri, neq; ualde probi; tales enim optāt potius quàm iudicio assequantur. Contrà felices & scelerati negant etiam quæ uera sunt, atq; ob id his affirmantibus fides maxima adhibenda esset, si non per iocum sæpe illuderent. Qui uerò probi sunt & infelices, adeò optant, ut potius sibi fingant quæ uelint, quàm uideant, uel audiant. Iure meritò ergo nobis hæc occasio oblata est, qui neq; adeò probus aut infelix sum, ut optem quæ haberi non possunt, aut impossibilia fingam: osor ergo mendacij super omnes mortales: neq; tam impius, aut felix in hac uita, ut si fieri possit, illi superesse nolim. Itaq; ne quis me nimis credulum dicat, si ea narrauero quæ uix credi possunt, neque minus fauente animorum immortalitati, si non coner quod plerique faciunt, maiora quàm percipere potuerim, & euidentiora spectra adiungere.

Quæ igitur opinionem dæmonum astruunt, duo sunt: spectra, & ratio: spectra uerò secundum omnes sensus fiūt: certis-

certissima quæ uidêtur, deinde quæ tactu percipiũtur, pòst quæ auditu: ab odoratu autem leuiora sunt, à gustu uix fidem ullam accipere possumus: porrò de his quæ ab auditu sumpta sunt, iam (ut dixi superius) tractauimus: aliqua tamen adijcientur similitudinis causa. Igitur ut ad rem ueniam: narrabat Iacobus Donatus patritius Venetus ac diues (ei pater occisus fuerat uir non ualde probatæ uitæ) quòd cùm nocte quadam cum uxore dormiens cereum accensum haberet, atq; in curuli lectio dormirent duæ nutrices cum infante qui nondum annum expleuerat, uidit ostium cubiculi sensim aperiri, inde hominem nescio quem caput intromittere: uiderant autem & nutrices, sed nemo faciem illius agnouit: territus adolescens, ut par erat, surrexit, arripuit ensem, clypeumq; rotundum, nutrices singulæ cereos magnos, it in aulam quæ contermina erat cubiculo, ibi clausa omnia, reuertitur magna cum admiratione. Igitur infantulus qui incolumis erat, sequenti die mortuus est. Hæc ille non sine suspirijs enarrabat. Historia mortui,

Simile quippiam audiui à matre mea, fœmina minimè superstitiosa, religiosa tamen: nam cùm aliquando infantem trimestrem haberet secum, quem ex priore coniuge susceperat, adesset q; & ipse coniux Antonius de Alberis (sic enim uocabatur) audiuit quendã in cubiculo quasi nudum ambulantem: aduocat coniugem, ille pariter audit, mirantur, horrent, timent, prodigium existimant, die sequenti infans, incolumis alioquin, mortuus est: hæc illa narrabat mulier ueracissima, & minimè uana. Mortui historia alia.

Quid dicam de Alexandro Scotorum rege, eius nominis tertio? is Ioannam Henrici tertij Anglorum regis sororem in matrimonium habuit. Qua sine filijs mortua, Margaretam eiusdem regis filiã rursus in matrimonium duxit,

ex qua Alexandrum, Dauidem, & Margaretam suscepit: quibus omnibus morte sublatis, ipse Rex non abiecta penitus successionis spe, Ioletã, seu Iolantem filiã comitis Draconensis tertiò sibi despondit. Sunt qui dicant filiam fuisse comitis Campaniæ. Dum igitur noctu festum celebraretur, uident mortuum in fine choreæ carnibus exutum saltantẽ. Quòd cùm rex, cæteriq; animaduerterent, attoniti primùm substitêre: deinde omen auersati, non solùm tunc, sed & in posterum dimiserunt nupiales iocos. Nec inaniter hoc uisum: nam eodem anno rex insidens equo impotenti, excussus & occisus est, prædicẽte etiam eadem die Thoma Leirmont, qui nunquam falsus uates fuerat, comiti Merchiarũ percontanti: inde etiam clades & seditiones ortæ, quæ florentissimum alioquin regnum euerterunt. Contigit hoc anno salutis circiter M.CC.L.

Dæmonis incubi mira historia.

Aliud idem miraculum recitat de dæmone in hanc sententiam. In Marrea regione, uti ex his qui rem hanc conspexerãt, accepimus: nuper puella nobilis, formosaq; auersata conuugium, inuenta est prægnans. Parentes cùm stupratorem quærerent, fassa est puella nocte, dieq; secum formosissimum cubare adolescentem, quem unde ueniret, non sciret. Illi tametsi parum fidei responso adhiberent, tertio die, indice ancilla, cognoscentes illum adesse, cùm tædis ac facibus subitò ingrediuntur reseratis foribus: horrendumq; monstrum & supra humanam fidem terribile, in complexibus filiæ conspicantur. Accurrerunt ocyus uicini ad fœdũ spectaculum: atq; inter illos sacerdos probatæ uitæ, nec sacræ paginæ ignarus, Euangelium Beati Ioannis cùm recitaret, eoq; peruenisset (& uerbum caro factum est) dæmon asportans cubiculi tectum, incensa suppellectile, stridore emisso horribili, abijt: fœmina post triduum peperit monstrum

strum undequaq; aspectu fœdum, & quale unquam in Scotia uisum non est: quod obstetrices, ne in dedecus familiæ seruatum esset, extructa pira, exusserunt.

Aliud idem recitat quod etiam suo tẽpore contigit. Anno M.CCCC.LXXXVI. è Phortea æstuario cùm soluerent in Belgicam, tanta uis uentorum ac maris nauim quandam afflixit, ut uelis, malo, cæterisq; quæ ad nauis tutelam sunt, fractis, sola immmens submersio expectaretur. Exclamat nauta dæmonum hoc esse factum, quod præter tempus sit: siquidẽ sub æstiuo solstitio, quãdo maximè ea Oceani pars trãquilla sit. Cùm diu sic questus esset, auditur uox muliercula quæ ex imo nauis accusat se ipsam, consuetudinis cum dæmone iam multis annis, ac tum demum in naui ab illo subactam: ob idq; rogat, ut quando perniciem afferat omnibus, sola dedatur mari. Ea cùm lachrymans exponeret, aderat fortè sacerdos qui hortatus fœminam ad pœnitudinem, & ut de Deo non desperaret, admonuit. Sic illa lachrymis, suspiriis, animiq; dolore peccatum horrens: cùm nubecula quædam è nauis sentina exiluisset, sono, flamma, fumo, fœtore, prodidit dæmonem. Cuius recessu pacata tempestas, omnesq; cum rebus suis, insperato salui in portum uenêre. Idem existimauit Merlinum, cuius maxima adhuc fama in Anglia est, sic genitũ esse. Recitat & aliud de succubo, in hunc fermè modum:

Dæmonis incubi alia historia.

Haud multis annis quàm hæc facta fuerant, in Gareotha regione, uico quatuordecim uix passuum millibus ab Aberdonia, adolescẽs multa formositate, corã Aberdonensi antistite quæstus est palã sese à dæmone succuba (ut dicũt) gratissima omniũ quæ uidisset forma multos antea menses infestatũ, eandem occlusis foribus noctu ad se ingredi, blanditiis in sui amplexus compellere. Dubia luce abire sine

Dæmonis succubi historia.

strepitu

strepitu penè: nullo se posse modo, cùm plures attentasset à tanta ac tam turpi uesania liberari. Iubet cõtinuò optimus Episcopus adolescentem aliò se conferre, & ut Christiana religione magis laudatis ieiunijs & orationibus plus solito accommodaret animum: fore ut pijs operibus intento, uiãtus cacodæmon tandem terga esset daturus. Euenit adolescenti salubre consilium, religiosè exequuto paucos post dies, uir uenerandus antistes erat præfatus.

Dæmonum historia mira. Aliud eiusdem generis idem Boëthius narrat, dicẽs: Erant simul Machabæus amitinus regis Scotiæ Duncani, & Banquho Stuart Forres uir strenuus, per syluas proficiscentes ad regem, obuiam tres habuêre mulieres insolita facie: quarum una inquit, Salue Machabæe thane glammis. Hoc nomen erat dignitatis, quàm nuper acceperat. Altera uerò inquit, Salue Caldarie thane. Tertia uerò, Salue Machabæe olim rex future. Tum Bamquho: Et uos (inquit) quæcunq; estis parum propitiæ uidemini, quæ huic præter optimos magistratus etiam regnum deferritis, nec mihi quicquam. Ad ea, quæ prima fuerat respondit: Imò tibi longè maiora quàm huic nuntiamus: nam hic quidem regnabit, uerũm infausto exitu, neminem post se ex suis posteris regem relicturus: at tu longa nepotum serie, quæ regnum obtinebit (licet tu Rex futurus non sis) relicta, decedes. His dictis, è conspectu eorum hæ se proripuerunt. Vana itaq; primò uisa sunt hæc, adeò ut alter regem salutaret, alter multorum regum parẽtem. Sed ubi Machabæus Caldarius (id nomen dignitatis apud Scotos) inde Rex factus est præter spem, occiso rege Duncano, cui erant filij duo, memor ostenti, conatus Banquhonem & unicum eius filium Fleanchum, ad cœnam inuitatos occidere: occiso patre, tenebrarum suffragio filius euasit. Tandem à Malcolmo, tertio Dũn-

tio Duncani filio, Machabæo occiso, quemadmodum prædixerat fatidica, post multas stirpes, regnum in familiam & pronepotes Banquhonis Stuart, apud cuius stirpis puellam adhuc manet, translatum est. Aliud penè simile de eodem Machabæo narrat.

Nam cùm Magduffum timeret, ab aruspicibus monitus, fatidica mulier regem lactauit prædictionibus, non illum dicens manu casurum nati ex muliere, nec prius uincẽdum esse quàm nemus Birnen ad arcem Dounsinnã, quam tunc non satis propè nemus rex exædificauerat, magna ex parte, cùm amplũ esset, translatũ esset. Quorũ altero se inuictum, altero ab insidijs tutum se credidit. Et tamẽ uictus perijt, non aberrante usquam fatidica: nã pridie quàm uinceretur, excisa sylua Birnen, quilibet ramum secũ tulit, atque ita arcem cinxerunt. Occisus denique à Magduffo, qui non natus, sed excisus ex uentre matris fuerat. Dæmonum historia alia mira.

Verùm quod contigit sub Valente Imperatore tam publicum fuit, ut fide carere factum non possit. Siquidem sæuiente illo, ob hoc multa millia uirorum sub carnifice ceciderunt. Libet autem strictim hanc historiam, cuius author est Ammianus Marcellinus, tanquam minimè dubiam subnectere, hac fermè sententia: Procopius uir seditiosus accusauerat Anatoliũ, Spadusiumque suppilati ærarij reos, quòd Fortunatianum exactorem acerbum occidere decreuisset: percitus Fortunatianus ira, Palladium quendam infimæ sortis uirum & magicæ artis (ut existimabatur) conscium, nec non Heliodorum, cui ex longa successione, naturalis quædam prædicendi, interpretandique fortuita uis inerat, in carcerem coniectos præfecto prætoris (hunc nos nunc Iudicem prætoris solemus appellare) examinandos exhibet. Seu ueluti facti conscios, seu ob artis scientiam sperans assequi Dæmonum historia alia.

sequi ueritatem. Igitur Palladius cùm tormentis admoueretur, exclamat, ea de quibus interrogabatur, nullius esse momenti, relinquendaq; habere maxima, quæsi permittatur, dicturus sit in communem salutem: permittitur, imò exhortatur. Tunc ille: Fidusius (inquit) Irenæus, & Pergamius nomē norunt eius qui Valentiniano Imperatori (is erat frater natu maior, ac cui delatum fuerat Imperium) successurus est. Tum præfectus statim Fidusium, qui ibi præsens erat cōprehendi iubet: interrogatusq; de hoc, cùm nec accusator deesset, nec tempus ad cogitandum suppeteret, rem totam aperit, dicens, se & Hilarium ac Patritium necromanticos absolutos, dæmonum auxilio præuidisse nomen successuri Imperatoris. Capti inde Hilarius atq; Patritius, rem ipsam exposuerunt. Sicq; inquit Hilarius, iam tortus: Tripodem hunc (aderat enim præsens, ut conuincerentur) ad similitudinem Delphici uasis ex lauri uirgis infausto augurio fabricauimus, consecrauimusq;. Et quoties opus erat, suffita domo Arabicis thymiamatibus, in medio illius tripodem collocabamus. Super tripodem stylus ex diuersis metallis fabricatus suspendebatur. Atq; in eo literæ singulæ, seu elementa alphabeti, certis distincta spatijs per ordinem inscripta erant. Super mensam eandem uir unus stabat, linteum lineum capiti circumductum habēs, lineaq; chlamyde lineis et caligis indutus, manu altera uerbenæ integram plantam, altera annulum consecratum, carpaticoq; lino appensum tenens, supplicationibusq; Deum futuri conscium inuocans: demum insidebat cortinæ ipsi annulusq; mouebatur deorum impulsu, tangens stylū ac literas: conficiebat carmina heroica, quibus declarabatur responsum rei quæsitæ, sicut olim apud Apollinem Delphicum & Branchidas. Interrogantibus igitur illis de futuro Imperatore,

tore, annulus tetigit θεόδωρος. Tunc unus è circumstantibus, fato ita urgente, Theodorum dixit significari. Nam ubi θεόδωρ iam composuissent, ultimum elementum requisiuerunt quod fuit σ, id est s. ut interpretaretur nomen Theodorus. Erat autem Theodorus uir maximè insignis, atq; huic negocio aptus, ut rebantur, natione Gallus, sanguine illustris, secundus à secretis Imperatoris, grauis, fortis, modestus, sapiens, humanus, omnibusq; charus. Post hæc quæsierunt, quid sibi futurum esset? Euenit sors, ostendẽs illorum maximum infortunium: præterea Valenti & illius ministris exitium & graue fatum his carminibus ultimis: reliqua enim Ammianus prætermisit.

Οὐ μὴν ἀτίμητόν γε σὸν ἔσσεται αἷμα καὶ αὐτοῖς
Τισιφόνη βαρύμηνις ἔφο πάσσει κακὸν οἶτον
Ἐν πεδίοισι μίμαντος, ἀπὸ καιομένοις κάρ.

Hoc est:

Non quidem inultus erit sanguis tuus, & in illos
Tisiphone graui ira armabit malum fatum
In campis Mimantis, Sed combustos corde.

Itaque Theodorus, cæteriq; confestim trucidati, & Valens occisus in Thracia, primùm quidem uulnere debilitatus, pòst in domo uillica combustus cum suis, à Getis, iuxta Niceam, non procul ab Hadrianopoli, minus etiam à Nicopoli. Sed si Valens philosophiæ non expers fuisset, poterat hæc ridere, parcereq; tot cædibus, tot etiam innoxijs. In paucis, è quibus erat Theodorus, sufficiebat punire uoluntatem & conatus irritos. Quis enim non uidet annulum motum fuisse ea ratione, quæ in libris de Subtilitate est explicata, non à dæmone, sed à naturali hominis annulum tenentis ui? Cuius etiam indicio est, quòd eorum quæ prædixit, nihil successit: nam Theodorus loco imperij cædem

nactus

nactus est. Sed Ammianus diuinationi addictus, in Theodosium qui Valenti cum Gratiano imperauit succedens, rem refert. Nam Teodo, non plus Theodorum quàm Theodosium significat. Verùm fortuitum hoc fuit: palàm enim est, eum qui annulum tenebat addictum, Theodoro nomen eius uaticinando collegisse. Sed si modò Theodosius exisset, non successisset: à Valente interfectus enim esset prius. Ob hoc Ammianus excusari potest, & uaticinium defendi. Sed defendi non potest, quòd Valens non in Mimanto monte, nec campis eius qui sunt in Mysia Asiæ & transmare, sed in Thracia occisus est. Ob quem errorem fingit Ammianus inuentum sepulchrum in eo loco uiri nobilis Mimanti. Sed si sic licet diuinare, non opus est dæmone, quandoquidem fingere talia nunquam non licebit. Quòd uerò Valens Asiam & Mimantum perhorruerit, hoc maius est erroris indicium. Et forsan eo errore adductus, se & rempublicam perdidit, non expectatis copijs Gratiani, quæ breui superuenturæ erant.

Dæmonis experimentum.

Maius nobis negotium est in his, quæ in urceis uidentur de furibus. Diximus aliâs in libris de Sapiẽtia. Quidam sic experiuntur. in crystallo sedens conuersus ad orientem, crucem facito cum oleo oliuæ, & sub cruce scribe nomen sanctæ Helenæ hoc modo: Sancta Helena. Inde puer natus ex coniugibus, ætatis annorum decem uel circa, uirgo, capiat crystallum dextra manu, & tu genibus flexis post illum stans hanc supplicationem ter, summa cum ueneratione dices: Deprecor te domina sancta Helena, mater Regis Constantini, quæ crucẽ domini nostri Iesu Christi inuenisti, & per illam sanctissimam deuotionem & inuentionem crucis, & per illam sanctissimã crucem: per illud gaudium quod habuisti quando illam sanctissimam crucẽ inuenisti, &

uenisti, & per illam dilectionē quam circa filium tuum habuisti regem Constantinū, & per illa summa bona quibus frueris æternaliter: ut debeas demonstrare in hoc crystallo quicquid peto & scire cupio: amē. Et cùm puer uidebit angelum in crystallo, rogabit quæcunque uolueris, angelusq; respondebit. Hoc autem faciet in ortu solis, cùm iam Sol emerserit, & aër fuerit serenus & clarus.

Irridere talia solitus semper eram, quāquam hoc ipsum experimentum multi probarent, & pro secreto haberent: uerùm contigit, ut puer quidam cōtubernalis ac scitulus, affirmaret se uidisse in phiala furem de quo interrogabatur. Quodq; ille uisus sibi esset in collo phialæ, uidissentq; & alij duo, quodq; descendisset in imum: tum demum non uidisse ipsum. Quodq; in aduentu quasi fulgur illuxisset, quòd manum capiti imago illa admouisset, quòd capitium ante retraxisset. Erat autem phiala uitrea, aqua sacrata, nitida, plena, super linteo sacrato, linteum super scamno, tres candelæ cereæ accensæ atque sacratæ super os phialæ, duo folia oliuæ in crucem disposita. Coniuratio perbreuis, qualis est: Angele sancte, angele candide, per tuam sanctitatem, meamq; uirginitatem, ostende mihi furem: & hæc super os phialæ obmurmurant: prius uerò precationem dominicam, & salutationem angelicam singuli flexis genibus proferunt ter, ac singulis uicibus pollicis ungue crucem signant super phialam. Soli astant in obscuro. Videbāt integrum hominem & pallium habentem, capite prono, caluum, ascendentem, descendentemq; in phialæ collo; non aliter quàm atomi in Sole. Visus est autem fermè per octauā horæ partem. Totum hoc spectaculum ad tres horas perdurauit, nihilominus, ut autor rei dit, fur non est deprehensus, neque inuenti calices duo argentei qui perierant. Referunt,

Dæmonis experimentum aliud.

runt, eum qui sustulit, si ritè hæc peragantur, aliquid patè dum peraguntur.

Tertiũ experimentũ inuocandi dæmoniũ.

Hæc dum ille narraret, incessit cupido talia experiundi, affuitq; occasio. Mulier quædam cõtubernalis capta desiderio uidendi quædam, aduocat aliam mulierem admodum talium peritam: adornant sacrificium, tres puellæ, ut ipsæ referebant, uiderunt multa: ego tunc nõ aderam. Iterum aduoco mulierem, paratur sacrificium, folia oliuæ non intererant, nulla precatio dominica, nulla salutatio angelica, sed tentoriolum solũm undique conclusum additur. Adest & mulier ipsa quæ nõ solùm uidebat, sed & ante puellas ostendebatq; se uidere. Nõ in collo phialæ, sed in cono illo qui fundo eius superstat, nõ in aqua, sed in uitro, non perfectas imagines, sed quasi partem solùm superiorẽ: non magnas effigies, sed non minores ungue minimi digiti. Non descẽdentes è superiore parte, sed ex imo quasi ex inani coni ascendentes. Videre se referebant puellæ, puerq; ille, de quo iam antea dixi: qui & fratrem tunc in Hispanijs degentem uidere se affirmabat: puellæ alios sibi cognitos: mira res, seu fabula. Cũm ab initio filium magæ uiderent (is erat puer & monachus) delectarenturq; aspectu illius, rogabant eam ut dimitteretur: negauit facturam, quòd interim filius suus torqueretur. Referebat aliquãdo Iosephus Niger harum rerum maximè peritus, dæmonem pueris se sub forma Christi ostendisse, petijsseq; ut adoraretur: illum uerò pollicitũ, si diceret quid cogitaret: tunc dæmonẽ iratũ discessisse. Videbant præterea in collo phialæ quid rubens, quod quasi in extrema erat aquæ superficie (nam phiala non tota erat plena aqua, sed ad collũ usq; tantùm, aut paulò plus) hoc saga angelum cum nauicula textoria in manu esse dicebat, puellæ illius faciem in uacuo uidere se aiebãt

tanquam

tanquam pueruli: puer solùm brachium cum nauicula: hic, ut referebant, perpetuò circumfertur ac uidetur: nam reliquæ imagines statim abeunt: unde anus illa imperare uidebatur ut magistri ludi literarij pueris, unamq; imaginē statim post aliam auocare. Cumq; ipsa alijs commonstraret, interrogaui, quomodo ipsa quæ iam filios quinq; pepererat uideret, ego non uiderem: respondit, facturam ut uiderem, sed opus esse festo beati Ioannis Baptistæ, aut natalis Domini. Ecce aderat propè id festum, accedo media nocte, doceet arcana: ea erant sex uerba, quæ multiplicem sensum habere poterant, sed (meo iudicio) in Christi contemptū potius maximū, quàm gloriā: uelut, Iesus trāsit, significare potest quod moriatur, quod transeat per uiam, & quod finem habeat: qui sensus uidetur uerior esse, cum subijciat, Ego sum: deinde, Angele sancte, & reliqua. Vtut uerò res se habeat, uidentur hæc quibusdā, non omnibus: raroq;, non semper: ut quasi sponte, nec tamen inuocati, adeant. Nos uerò polliciti eramus pretium si uideremus: illa fidenter accipere conditionem uisa est, & nostræ fidei credere: nec accepit quicquam, sed libenter docuit, quasi de euentu confideret. Ego tamen deprehendi, omnes has esse fabulas, nec quicquam illam scire, sed esse meras nugas. Cùm enim ampullas in aquæ margine excitasset nescio qua arte, uolebat ut margaritæ mihi uiderentur: nam ex reflexione tales apparebant. Rursus ut gemina capita in urceo uiderem. Forsan constanti illa sua intrepidaq; opinione, puerulos alioquin faciles, ex proprio sensu deturbat, & in suam sententiam trahit: atq; ita fatentur se uidere quæ non uident. Etenim puellas de quibus dixi, tandem coëgi fateri, nihil se uidisse. Cùm multi, ne polluti uideantur, simulent se uidere. Referunt M. Varronem scripsisse, cùm iuuenis de

bello Mithridatico ſciſcitaretur, puerum in phiala, Mercurij imaginem uidiſſe, quæ carminibus 150. recitatis, quæ ille poſtmodum Varroni referebat, totum eius belli ſucceſſum cõtinerent. Id quomodo latere potuit Ciceronem? aut pulchrè Varroni impoſitum, aut demonſtratum.

Cap. 12. 14. 15. 21. Huc pertinent quæ ſæpiùs diximus de miraculis & aruſpicibus, cordeq; deficiente, de ſonis præter naturã, genijsq; uiſis: omnia enim eò tendunt, ut aliquid ſupra ſenſibilia hic inferius etiam eſſe credamus. Rationes igitur ab experimentis ſumptæ, optimæ ſunt. Non negarim plurima falſo iactari, nugas ſæpe agi, imponi ſolere pluribus: maximè de his quos ſoletos uocant: quos ego, ratione duce, illud mihi primùm ſtatuens falſa omnia eſſe quæ de illis ferantur, nullos eſſe deprehendi iam quater, & ſi tota ciuitas accurreret ad fabulas confictas, omnes ſunt impoſturæ: uerum aliorum generum quædam ſunt uera ſpectra: oraculorum cauſam nunc prætermitto, nam Ariſtoteles & Theophraſtus de Pythia, ſeu aduerſus illum ſcripſere, partim in ſacerdotum fraudem, partim in exhalationis uim talia referentes, uelut & dæmonum familiarium opinionem in famulos ancillasq; ſuſpendio dignas. Similem ſententiam amplexus uidetur Euſebius de oraculis in libris de Præparatione Euangelica. Eſtq; illud generoſum exemplum de ſacerdotibus Baal Danielem. Ergo licet multa ad naturales cauſas, rudente (ut dici ſolet) trahi poſſint, expeditè tamen per dæmonas cauſa habetur. Velut cùm aliquis hominem occidit, uel ob leuiſſimam iniuriam, uel ob pecuniæ paruæ ſpem: ubi poſt ſcelus uideas hominem neq; ſui compotem, nec antequam fecerit, nec cur fecerit. Quod ego aliquoties uidi, ut prorſus cacodæmone actos dicas. Somnia quoque nuntia futuri nõ tam pulchrè poſſent euentibus reſponde-

Dæmones eſſe rationibus oſtenditur.

dere,

dere, nisi à dæmonibus, aut Deo immitterentur. Quæ igitur improbis immittuntur, uelut Syllæ & Calpurniæ & C. Caligulæ, non est uerisimile à Deo immitti: quamobrem à dæmonibus ueniet. Quod & Homerus sensit. Sed more gentis & ritus sacrorum, quos nunc nos dæmonas uocamus, ille deos appellat. Sentimus quoque in nobis ipsis etiam præter rationem aliquid impellens, pugnans, repugnansq; adeò ut nonnunquam animus noster secum bellum agere uideatur. Ibo non ibo, nec scio prorsus cur sim iturus, multoq; minus quid me detineat. Præterea ut dantur mixta perfecta ex hac fece elementorum, terra scilicet & aqua: nam solùm hæc duo elementa in mixtis esse, iam centies demonstraui. Quid ergo prohibet, ne rursus ex puriore substãtia tenuiorum elementorum, scilicet uapore aquæ, & aëris subtiliore parte, mixta quædam perfectissima atq; inuisibilia generentur? Tot Deus crabrones, muscas, aliasq; pestes creauit, natura genuit, perfectissimum quicquam esse nolet? Aut igitur potuit & sciuit: quid ergo? inuidit? Aut potuit & nescituit: nefas hoc ingens: ergo quod reliquum est, non potuit. Si igitur non potuit, demonstraretur hoc fieri nõ potuisse. Non licet, nisi hoc supposito, quòd in omnibus mixtis dum generantur, quatuor elementa adesse necesse sit? At hoc falsum planè, imò neque Aristoteli consentiens. Quamobrem creatos dæmones esse, haud dubium est. Verisimilius etiam est, si res ab initio spectetur, dæmones esse creatos quàm animalia, quòd ex puriore substantia geniti sint. Quis igitur sanæ mentis dicat esse facta elementa, ut ex eorum fece animalia generentur? Et non potius, ut ex illorum puriore parte fiat quod optimum est? Atq; hæc quasi innuit obscurioribus sermonibus, imò inuoluit Plato. At forsan dices, animalia ipsa puriore parte elementorum, tametsi graui, con-

ſtant? Verùm non ita eſt, quandoquidem elementi leuiõris, ſcilicet aëris, nihil ſit in animalibus ut pars, quò reſpirent, aut uehantur, ut in piſcibus. Forſan reſpondebis, ſolo aëre, quod ſimplex ſit, conſtare nequit corpus quod mentis & ſenſus capax ſit. Sed neque hoc, nam æther ſeu ſubſtantia illa cœlo proxima, nec frigida ut aër, nec calida ut philoſophi quidam putant, ſed ut ſimilia ſimilibus copulentur, temperata, tenuiſsimaq́, mixta aëri aliquid gignit. Videmus enim quòd cùm duo diuerſa iunguntur qualiacunq́ ſint, temporis ſucceſſu ſemper aliquid uiuens generatur, aut animal, aut planta, aut metallicum aliquod: & eo celerius, quo tenuiora fuerint quæ miſcentur. Ex aëre igitur atq́ æthere ſtatim, cùm ſint tenuiſsima, aliquod uiuens generabitur. Vides uel minimum folium cùm putreſcit, ſtatim aliquod animal gignere, atq́ natura diuerſum ab alijs. Seu igitur calorem ſolis dicas potentia animas continere, ſeu totum ſit animatum, hoc quidem Anaxagoræ, illud Ariſtoteli fauentes: ſeu undiq́ mentes uagentur, ut Plato ſenſit: conſtat in communi limite aëris atq́ ætheris dæmonas generari: uelut & in confinibus terræ, & aquæ animalia quæ in aqua degunt, & quadrupeda aues q́ & homines in cõfinibus terræ & aëris. Eſt & alia ratio, quod cùm omnia ſint animata, aut aër totus animam unam habebit ut cœlum, ideoq́ etiam totus unà feretur, hoc autem non: aut plenus erit animis: aliter maximum ſpatium, inane relinquetur: & nulli uſui. Quod autem omne animatum unà feratur, uidemus & de cœlo ſingulo quamuis maximũ ſit, & de cunctis animalibus, & de plantis. Quinimò ſi animal aliquot partes habeat diuiſas ut in cõtraria ferri poſſint, breui moritur. Si ergo Deus, uel non potuiſſet in aëre creare quippiã quod ſentiret atq́ intelligeret, ſaltẽ non tantũ ſpatij inter

tij inter cœlum & terrã interposuisset. Sed auctis grauioribus elemẽtis, mundum hunc inferiorẽ animalibus, quadrupedib. & auibus, ac hominibus, piscibusq; repleuisset. Nunc uerò cùm nostra tã angusta spatia uideamus, aëris uerò & ætheris larga atq; ampla, certũ esse debet, & illa habitarĩ debere, licet quomodo habitentur incertum sit. Vltimò accedit ratio uniuersi, quia cùm quædã sint quæ curam habẽt aliorũ, ut Deus supremusq; intellectus, quædã sint quæ solùm curãtur ut homines, animalia, plantæ, elemẽta: necesse est & aliqua esse quæ curentur & curã habeant, uelut sunt dæmones: ut enim mẽte æterna sunt, & inuisibiles, nostrisq; haud subiecti sensibus, nos curant. Vt uerò & ipsi corporĩ iuncti, & sub cœlo positi, curãtur ab alijs superioribus potestatibus. Quamobrẽ uident, nec uidentur, intelligunt, sed ab alijs melius intelligũtur. Aeterni mente & immortales, seipsos etiam agnoscẽtes. Superi enim seipsos cognoscunt, atq; per se alios: nos uerò alia, & per alia nos ipsos at dæmones: alia quidẽ per alia, se uerò per semetipsos agnoscunt.

Peripateticorũ & Epicureorũ rationes aduersus dæmones.

Qui uerò dæmonas esse negant, cõtrarijs prorsus rationibus innituntur. Primùm quidem inquiunt, si dæmones sunt, animam habent ac membra animæ functionibus necessaria, uelut & in animalibus uidemus. At uerò talia ut consistant, indigent solidiore elemento, atq; quod illud cohærere faciat, atque ita terra & aqua. Quòd etsi ab initio duobus tantùm elementis mixta conficiantur, nemo tamen negabit postquam mixtum fuerit absolutũ, quin in illo hæc quatuor elementa sint: igitur oportebit & dæmones esse uisibiles, & animalia qualia cætera, quare non erunt dæmones, sed aliud potius. Cogit igitur argumentũ dicere, quod & uerum est, dæmones non habere magnã uim corporeã, sed ut aër: transferre tamen possunt corpora, idq; etiam

ægrè, si modò possunt: uidetur enim uis eorum magis in specie rerum esse, quàm in rebus ipsis. Præterea dicunt illi, si ponendi sunt, maximè hoc fieri debet ob spectra? Sed illa partim inania, partim (ut docuimus) causas habent naturales, licet aliquanto occultiores quàm ut ab omnibus perspici possint. Quod uerò maius est argumentum, non esse ullos dæmonas: quoniam si essent, plurimi essent. Si igitur dæmones spectra ædunt, terrores incutiunt: omnia uerò sunt plena dæmonibus, erunt & omnia plena spectris, laruis, atque terroribus. Quod cùm omninò falsum sit, nec dæmones esse existimandum est: nec si sint, argumentum ullum habebimus ad illos demonstrandos: cum spectra ab eis nullo modo fiant, sed à proprijs causis. Quis non miretur uim machinarum ignearum: cuius causa si comperta non esset, in dæmonas posset referri? At constat non esse. Idem de circulatoribus dicendum.

Historia mortui mira.

At obijciet quispiam, quòd in familia Torellorum, nostra adhuc ætate manet. Sed libet historiam narrare. Est familia nobilis, ac inter primas Parmæ, Torellorum nuncupata: possident, ut audio, arcem in qua aula est. In ea sub camino solet uideri anus iam centum annis, quoties è familia aliquis obiturus est. Referebat mihi aliquando illustris matrona Paula Barbiana, quæ ex ea familia erat, dum una cœnaremus Belzoiosij, quandam puellam ægrotasse, uisam anum, existimasse omnes illam perituram, at cõtrà accidit: seruata enim est, sed alius incolumis repentè è familia mortuus est. Referunt, hanc anum cuius nunc umbra uidetur, olim fuisse prædiuitem, & ob pecunias interfectam à nepotibus suis, et in frusta diuisam, proiectamq; in latrinã. Constat, hanc non esse fabulam confictam: sed uel ueram prorsus, uel diuturna fama pro uera apud illos haberi: præsertim

ſertim cùm in familiæ illuſtris admodum, & omen ipſum & cauſa dedecus cedat. Dicent ergo, non omnibus talia ſpectra contingere, ob multas cauſas.

Prima, cùm non euidens flagitium fuerit perpetratum: ut in hoc caſu, amita à nepotibus, uetula ob pecunias, & diſcerpta, & in latrinam proiecta. Simile quoque eſt de furijs: aguntur, qui matrem, qui fratrem occiderint, ut Oreſtes, Nero, Caracalla: non omnes qui hominem occiderint, pars eſt furijs agi.

Deinde, cùm inultum manet ſcelus: ſumpta enim pœna de authoribus, uidetur expiari. Quod ſæpius Apollo teſtatus eſt, ſi modò ei aliqua fides præſtari debet.

Tertia conditio eſt, eius qui occiditur inſignis quædam probitas ultricem ſecum trahens Adraſtiam, aut improbitas quæ umbram propriam ſtimulat ad ultionem, ut de Caligula relatum eſt à nobis aliâs. Et hanc fœminam ueriſimile eſt egregiè malam fuiſſe, quæ tantum congeſſerit pecuniarum, ut mortem etiam accerſiuerit. Memini, quòd in domo ubi Aloyſius Donatus patritius Venetus occiſus eſt, aliquandiu ab habitatoribus trepidatũ eſt. Seu uerè, ſeu ut domum minoris conducerent. Ille certè fuerat nequiſsimus.

Quarta, ut qui occiditur, nobilis ſit, aut uirtute, aut potentia, alióue modo. Neq; enim omnium dæmones dignantur conſuetudine, ſed eorum tantùm quos inclytos aliquo modo præſumpſerint: uelut M. Bruti, M. Antonij, Socratis, Iuliani, ac talium.

Cæterum, mortuos circa ſepulchra uideri in agris, & maximè iugulatos, nec profundius defoſſos, quiq; in uita fuerint atroces, per noctem, & præcipuè ab his qui hoc non ignorarint, naturale prorſus eſt: cùm humidum corpus hominis ac recens, uaporem pro magnitudine ſua conſtantem Mortui iuxta ſepulchra cur uideantur.

emittat, qui hominis refert effigiem. Vnde olim concrematis corporibus, & in urna conditis, nihil tale uidebatur.

Dæmones si sint, habitare aëris mediã regionem.

Sed ut ad institutum redeam, rarò dæmones ad nos ueniunt: quòd si contigerit, haud facilius quàm homines ad montium cacumina, uel imum maris. Delectantur enim loco illo in quo generantur: generantur autem in aëris regione ætheri contermina, ut dictum est. Omne enim animal, & omne uiuens, alitur ex his ex quibus generatur: & omne uiuens delectatur loco in quo commodè alitur: & omne quod delectatur loco aliquo, in illo manet quantum potest, nec nisi ui quadam ab illo abstrahitur. Vnde fit ut rarò, & non nisi magnis ex causis, dæmones ad nos ueniant. Tertia ratio est, quoniam si dæmones sunt, animus noster est immortalis: cùm nihil prohibeat mentem corpus aëreum induere: tum quia qui dæmonas esse existimant, existimant & animos immortales: sed si immortales sunt dæmones, cùm sint animis nostris excellentiores firmioris q̃ substãtiæ: & quoniam qui eos esse credunt, plerunq̃ esse sic existimant, necesse est ut trium unum sit: aut ut sint incorporei, & ita non sentientur: aut corpore immortali atque cœlesti: at tale non potest habere mentẽ in materia. Vel erit cum corpore mortali perpetuò: hoc autem repugnat sibijpsi. Vel transmutabitur & interibit, hoc uerò absurdum, cùm prius cum illo esset. Neq̃ enim par est, exuere materiam, ut aliam eiusdem generis induat. Vel igitur perpetui sunt dæmones & sine corpore, ut lex nostra sanxit: uel si cum corpore, mortales. Nihil autem prohibet eorum mentem manere. Sentiri autem incorporeos nihil prohibet, quoniã luce & lumine aërem mouent. Vltimò contradicunt hac ratione, quòd si dæmones essent, uel amici essent, uel inimici: si inimici, aliqui ab illis læderentur, præsertim cũ à multis paruipendantur,

uelut

uelut Epicureis, Peripateticis, Saduceisq́: at neminem læsum ab his uidimus: nec legitur quòd quisquam à dæmonibus, quod illos esse negaret, plexus sit. At dicunt quidã, non lædunt, quia corpus illorum exile, est imbecille. Sed hæc ratio non ualet: quis enim uetat, ne obseruato tempore, tegulas facilè per se casuras in caput demittant? Aut obseruata nauigatione demergant? Aut ex cacuminibus montiũ et arduis callibus immisso uento præcipitẽtur. Vel si omninò nihil horum possunt, cùm saltem, ut Platonici aiunt, animas tentare soleant, equos non urgent, ut excusso sessore illum occidant. At contrà uidemus, si Platonicũ cum suis sacrificijs equo peruicaci, feroq́ imponamus, Epicureum autẽ dæmonas irridentem miti, ferus suum Platonicũ excutiet maleq́ habebit, mitis blanditer uehet impiũ Epicureũ. Quãobrem decebat Platonicos in tam ardua dubitatione hæc duo facere: ostẽdere dæmonas esse, ac huic potissimũ argumento quod sibi obijci posse sentiebant, respõdere: inde ad declarandũ naturã illorum se accingere. At ipsi, omissis his duob. multa disputãt, pluraq́ nugantur de re omninò incerta. At si non nocent, quia amici sint humano generi, quanquã hoc omnes cõstanter, & cõcordi opinione negent, dico leges, Platonici, & Psellus, qui mediũ locũ inter has opiniones tenuit. Vel quia nocere prohibẽtur, ut dicunt rursus leges & Platonici, cur non aliqui saltem egregiè iuuantur? unusq́ aut alter à dæmone ditatur? disciit artem nouã? principatum acquirit? magnam adipiscitur sapientiã? Cùm interim omnes qui eos esse credunt, quiq́ his dant operam, egregiè insaniant. Quis unquam mutilatum librũ, dæmonis auxilio restituit? aut ritũ antiquũ? aut amissam artẽ? aut locũ obscurum est interpretatus? Medicina, philosophia, geometria, typi, machinæ, humana industria, & quicquid inter

homines

homines præclarum est, inuenta sunt. Studiosi, ingeniosi, memores, diligentes, & quibus diuino munere datum est, artium fuêre inuentores: non Pythia, aut Dodonæus, uel mulier pythonem habens, hæc docuêre. Nec Suessanus cum suo dæmonio barbato quicquam egregium construxit: nec Platonici doctiores Peripateticis, sed inconstantes, inutiles, uani, soloq; fastu ac fabulis tumidi. Quinetiã quod solùm sperari poterat ut pij essent, defuit. Siquidẽ Plotinus, Porphyrius, Iamblicus, sectáq; illa tota Deo ingrata, nihilo melior gentibus fuit, cùm deos, cùm dæmonas adorari persuaserit. Et enim Deum ex operibus, cunctorum authorem esse constat: ei ergo gratiæ, non incognitis dæmonibus, agendæ sunt. Quòd etsi sint dæmones, si quicquam in nos etiam boni conferant, illud totum Dei arbitrio fiet. Aut igitur boni sunt, eruntq; serui boni altissimi Dei: nec iniquo animo patientur in illorum & nostri communem benefactorẽ gratias referri: illum solùm adorari. ô quàm bene scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. At fac ut mali sint, qui cùm nocere non possint, nec ob metum adorandi, quod nihil possint: nec ob gratiã, cùm mali sint. Sed si nocere possunt, nec nocent, hoc beneficium Deo retribuere debemus, à quo seruamur ab hostibus. Itaque difficillimum esse uidetur, dæmonas esse, cum ratione dicere. Sed si modò sunt, quicquid sit, nec corpora, nec animos ullo modo mouere possunt, sed solùm monere. Neq; id semper, nec uehementer: cuius causa mihi nondum comperta est. Atque ob id quæ nescio, non in medium afferam, solitus ea solùm enarrare quæ ipse senserim, aut certò sciã. Verùm forsan quis obijciet, Deus nónne est? Est, inquiunt. Nónne omnia potest? Et illud. Nónne omnia nouit? Nimè. Cur ergo sibi fidos, suiq; obseruatores pericli-

Platonici impij, Platonici pius.

tari

tari sinit? Qui illi infensi sunt, qui ei maledicũt, minimè ulciscitur? Par ergo ratio de dæmonibus habenda erit. At nõ ita est: nam primùm Deus leges naturales posuit, quas seruari uult. Deinde cùm sit mens, uim habet per totum diffusam: & uelut animus non ulciscitur partes corporis, quia nec ab eis læditur, nec illarum priuatur imperio: sunt enim suæ: ita & Deus. Præterea pœna Dei secũdum Theologos, nos manet post mortem. Dæmones uerò, neque naturæ imperant, nec causæ sunt uniuersales & mundo communes, & perturbationibus afficiuntur, nec arbitrij illorum est animas à morte punire. Quocirca etiam illud obseruandum, Deum non flecti precibus. Esset enim quasi unus è nobis, passionibus & doloribus obnoxius: quod Philosophis repugnat, pariter & Theologis: sed ob id fauet, quia destinauerat: destinauerat aũt nos inducẽs ad preces ac sacrificia. Sic bona mẽs, bona opera, bonus euẽtus, ex æquo sunt altissimi munera: sed de his aliâs disseruimus, hic aũt quasi terminus quidam tractandorum. Sed ut ad rem de Deo redeam, nec semper Deus ultionum obliuiscitur etiam in hoc mundo: pluribusq; manifestè in intolerabilibus malis succurrit: in simplici autem morte, quæ per carnifices fiebat, non: quòd credentibus in Deo, mors ipsa meta esset, non pœna. Ignes diuisi sunt in Polycarpo, feræ non accesserunt ad damnatos in Syria carceres aperti sunt Petro, Pauloq: sed non expediebat carnificem impedire, si non ui fides nostra potius quàm uoluntate retinenda erat. At à dæmonibus seruatos, aut uexatos, non nisi fabulosè legimus. Omitto nunc quæ Dei permissione facta dicuntur. Illud nunc adijciam: Peripateticorum opinioni fauere multum, præstantiam structuræ corporis humani, naturamq; ipsorum hominum, ut Aristoteles inquit, per se diuinatricem, dæmoniamq:

Cur Deus non ulciscitur malos.

Deus quomodo preces exaudiat.

Cur à carnifice nullus martyrum liberatus.

moniamq: quæ frustrà uiderentur tanta diligentia conquisita, si longè melius, longeq; excellentiùs animal ex simplici ipso aëre poterat fabricari. Nec præteribo (nequicquam dimittam quod sciam in rem facturum) quòd patrē meum, quanquam dæmonem se habere gloriaretur, uiderim operam dare geomantiæ, dum incerta quæreret. Quod cùm ego, ut potui, blanditer obijcerem (erat enim iracundus, maximeq; mihi) quid opus esset tam incerta spe, cùm haberet Pythonem? Respondit, quòd ubi coniuratio perijsset, illum quidem uenire rogatum, sed non ut antea, uera respondere: & ob id alia etiam tentasse auxilia. Durum etiam mihi uisum est: percunctanti quomodo sciret dæmonem esse qui responderet, ne forsan mens ipsa uehemētiùs perculsa id ageret? Respondit, eo se agnoscere dæmonem esse, quod non exactè congruant responsa quæsitis. Veluti interroganti quid mulier ferret in utero, masculum'ne an fœminam? respondisse dixit fœminam, atque fœminam improbam. Et rursus quærenti, an Ludouicus Sfortia, princeps Mediolani posset retinere principatum? respondit, non. Tum pater, quare? Quia inuisus est satrapæ & maiestati diuinæ. Et statim (cùm pater requireret cur) deducto uelo, ostēdit tot, tanta, taliaq; quæ princeps ille pa trauerat in Dei contemptum, aduersusq; leges, ut diceret se, cùm eius spectaculi recordaretur horrere, timereq; ne terra dehisceret. Cùm igitur tam leui argumento niteretur ostendere dæmonem esse, uidetur nihil firmi attulisse. Nam si dæmonem uidebat, audiebatq; sufficiebat dicere: Non ego uigilans, nō ebrius, non mēte captus, his oculis, ut te intueor: his auribus audio, ut etiā nunc te loquentē. Nec obiter, sed cū aduocauero, uenit: cumq; interrogo, respondet, & ad propositū. Similis responsio fidē facere poterat,

terat, dæmonem illi assistere, nõ ratio ex longinquo petita.

Omnibus igitur ad trutinam diligenter redactis, censendum est rationibus difficile esse tueri, dæmonum ac mortuorum animos hincinde dispersos esse: quod tamen experimento, & ordini rerum, & naturali inclinationi conuenit, est ut illos haud dubiè esse credamus. Nam tot tantaq; circa morituros, maximè uiros egregios, cernuntur, ut sine dæmonibus fieri hæc non possint. C. Cæsari nocte quæ cædem præcessit, sponte cubiculi patuêre fores. Ciceroni cor uiuus pallium è uultu detraxit antequam occideretur statim, nondum tamen milites aduenerant. Bruto (ut dixi) genius apparuit, & Iuliano, & Dionisio, M. Antonio intempesta nocte quæ diem necis eius præcessit, excessisse auditus est Bacchus, cuius ipse cultor erat, cum concentu, clamoribus q; saltatione q; satyrica: aderant instrumenta musica omnis generis. Porrò talia uidentur (ut dixi) non nisi magnis uiris egregie q; bonis, aut egregiè malis: quòd de his securi sint, in illis aut nihil amittere timent, aut forsan ea signa ab angelis & Deo immittuntur. Mediocres si perterrerent, ab se forsan alienarent: & similiter eos, qui nihil à morte superesse putant. Infinitum autem fuerit, si hæc commemorare uelim. Similiter & quod ab initio diximus, Platonis testimonium de dæmone Socratis, non leuis est argumenti. Constat uerò fuisse uerisimum, quòd Socrates talia narraret: quandoquidem & Xenophon Socratis discipulus, uir omninò grauis ac minimè superstitiosus, qui q; non parum Platoni infensus erat, huius dæmonis sub Dei nomine bis meminerit. Vt & si dubitari possit, an Socrates uera diceret, minimè tamen quod diceret, & pro cõstanti affirmaret. Sufficere debebat in hoc Platonis probitas ac pietas, sed malui in tam difficili quæsito opem

Conclusio an dæmones sint.

Illustriũ uirorũ interitus quæ dæmonũ prodigia præcesserunt.

à Xeno-

à Xenophonte requirere: sed (ut dixi) Socrates uir probus fuit, atque omninò ueridicus. Deinde quid mirum fuit, dæmonem affuisse Socrati, cùm ille uerax hoc de se referret? cùm iam constet inueniri Engastrimythus, quorum ut præsentium & qui Socratis tempore plures erant, historiam alibi retulimus. Constat etiam mulierem illam, de qua in libris de Subtilitate egimus, tot modis uexatam sanatamq; à Iosepho Nigro, dæmonum auxilio seruatam: quanquam is tunc negaret, ut postea intelleximus. In India nouiter inuēta, certum est homines occurrere laruis & zemis (ita idola sua uocant) noctéq; terrentur. An hæc sit persuasio quædam, an opinio, an quòd res ita se habeat, prorsus incertum est. Vtcunq; res se habeat, magna sunt huius rei argumenta. Et tractatio ipsa (ut dixi) utilis & periucunda multum, tum ob spem immortalitatis animi, tum quòd melioris partis mundi est hæc notitia.

Lib. 19.

Verùm non obiter, ut alij ante nos, sed probabilibus experimentis innixi, atque præcipuè his quæ ante clades: ea enim maximè perspicua, & si (ut dixi in libro de Animi immortalitate) ad supremam causam referri possint: deinde adijcientes ea quæ sensu deprehenduntur, doctrinā de his illustrem faciemus, haud forsan minus firmam atque perfectam ea quæ de mundi partibus sensibilibus habetur. Illud primùm præfari, opinionem nostræ religionis multum cum experimentis ipsis consentire: adeò ut uix quicquam uerisimilius possit excogitari. Sed nos non theologicam hic, sed naturalem scientiam tradimus.

De natura dæmonum.

Sunt igitur hæc supposita. Primum, quòd non uidentur pondera transferre, nec res magni momenti mouere: quòd si semel, aut bis uisum est, in alias causas est transferendum. Dicebat enim Philosophus, quæ insolenti quadam

Libro 4. de Natura animaliū, ca. 7.

specie

specie sunt, & quæ rara, in genus referri non debent. Ex hoc igitur secundum pendere uidetur, ut solùm imagines rerum fingant, sonos, formas, laruas, odores, succubos, quì tactu percipiantur: quoniam sensus in his fallitur, cùm nihil sit, quod sentiatur. Vnde & ab infantibus, & dormientibus, & his qui leuis sunt sensus, atq; subtilis, nec nisi lucis ac luminis auxilio sentiuntur. Cùm igitur species rerum sint, non res, & leuissimæ, sequitur ex his, quæ in libris de Subtilitate, de iride demonstrata sunt, ut duplici de causa unus uideat, alius non uideat. unus audiat, alius non. Aut quia non subtilem, & acutum habet sensum, aut quia luminis ratio obiecta diuerso modo non patitur. Tertium est, quòd nullus illorum auxilio quicquam dignum fecerit. De rebus quidem, perspicua est ex dictis ratio, cùm corpus non moueant, nihilq; possint. At de scientia, posterius dicemus. Quartum, quòd nullus adhuc de his quicquam effatu dignum scripsit, sed solas meras nugas. Par enim erat, aliquem ex his, qui dæmonem haberent familiarem, ab eo uel precibus, uel coniuratione, uel his quibus solent deliniri, de illorum substantia, uiribus, sapientia, moribus, uita conuersatione, forma, habitatione, alijsq; similibus copiosè, & (ut decet) sapienter scripsisse ea, quæ referebantur, ut nunc nos faciemus, his quæ experimur accommodantes. Quintum, quomodo exaudiant uoculas, & submurmurantes pueros? aut enim præsentes ubique erunt, aut absque specie rei, id est sono, uocem intelligent. Vtrumq; uidetur difficillimum: nam si ubiq; quisq; est, Deo similis erit. Si autem uoculam illam procul audiunt, ubi nulla est uox, etiam mentis cogitationem intelligent: quandoquidem uox illa ubi non pertingit, sit ac si non esset omninò. Sextum, cur circa morituros maximè spectra sentiantur. Neq; id absq;

ratione: nam morituri iam, in medio sunt animorum solitariorum, uiuentiumq. Solitarios autem animos uerisimile est alijs animis, aut dæmonibus sociari. Ob id etiam certum est, uix unum aut alterum sub mortis articulo non imaginari dæmones præsentes: atq; ubi id contingat (terrentur enim adeò, ut aliqui è lecto exiliant) prorsus moriuntur omnes. Quod tamen ad causas naturales etiam referri licet, possit, ut aliàs docuimus, sic tamen euidentius ostenditur. Cur uerò id momento tantùm fermè in singulis contingat, pulchrum erit docere. Nam nunc de falsis imaginibus non loquimur, ex quibus licet affines mortuos uidere se arbitrentur, plurimi tamen se recipiunt ac sanantur. Septimum est, cur in regionibus desertis, ciuitatibus malè habitatis, domibusq; iam diu uacuis, & inter ruinas ac rudera, sepulchra etiam aliquando, maximeq; solitaria, & ubi hominum multitudo perijt, talia spectra ac dæmones, seu mortuorum umbræ, uideri soleant. Octauum est, quòd inuocati ueniunt longè facilius, quàm non inuocati. Et inuocantur aliqui blanditijs, alij autem minis, & execrationibus, quibus etiam abiguntur. His igitur ita constitutis, illud supponendum arbitror, quòd nulla mens in corpus agit, nisi proprium: nec ullum corpus mentem peruertere potest. Si enim homini faces, flagella, aliaq; tormenta quantumuis atrocia adhibeas, efficies certè, ut assentiatur, dicatq; quæ uelis: at ut amet quenquam, aut odio habeat, prorsus non efficies. Nec uersa uice, si uelis, uel plumam moueri, nisi uim adhibueris, non impetrabis. Ergo neq; mens in corpus, nec corpus in mentem, dominium habet. Sed ut rectè inquit Aristoteles, corpus à corpore mouetur. Loquor de tractione, impulsuq; ac iaculatione. Est etiam illud consideratione dignum, quòd dæmones alio modo in-

do intelligunt, quàm nos. Vbicunq; enim medium aliquod est inter extrema diuersorum generum, medium quoq; differt genere ab utroq; extremo. Velut sensus interior, medius est inter exteriorem, & operationem intellectus: sensus uerò exterior distinguitur ab intellectu in cognoscendo: ob id igitur necesse est interiorem in modo cognoscendi distingui, tam ab exteriore sensu, quàm intellectu. Sed dæmones sunt medij inter supremos intellectus & homines: homines autem diuerso modo cognoscunt ab intellectu supremo: igitur dæmones cognoscunt alio modo, quàm homines, & potestates cœlorum. Illud etiam conuenit rationi structuræ, quæ admodum diuersa est in utrisq;. Sed homines cognoscunt discursu, & ex sensatis: igitur dæmones habent nobiliorem modum. Et anus docens auem loqui, non docet iuxta modum, quo illa nouit loqui, sed iuxta modum auis, id est, per consuetudinem: ita dæmones cùm uersantur cum hominibus, uidentur uti discursu in his, quæ cognoscunt: nec tamen ipsi intelligunt per rationem, sed alio meliore modo, ut dictum est. Corpora uerò eorum aut assumunt ad libitum, ut Theologi uolunt: uel non sunt omninò simplicia, sed organica, ut solent à Græcis uocari, & mixta suũ generis atq; perfectissima: aut sunt corpora cœlestia, lucis nõ expertia: sed non sunt talia: ubiq; enim lux esset, nec ex cœlo decidi quicquã potest, nec assumunt ac dimittunt corpora illa, quia inepta essent operationibus: igitur habẽt sua propria corpora delineata, & apta suis operationibus, pulchra in suo genere. Cùm uerò sint ex aëre & æthere, sunt mollia, frigida, patibilia ualdè, & imbecillia. Omne autem quod patitur, & sensum habet, dolet: ideò & ipsa dolẽt. Cuius uerò corpus dolere potest, eius etiam animus potest tristiari, quare dæmones & dolẽt, & tristantur. Quamobrẽ &

timidi necessariò sunt, nam facilè patiuntur, & ex passione lædantur, & multùm, ut corpora mollia facere solent. Ergo cùm facilè multùm lædi possint, ut sint timidi necesse est. In omni uerò congregatione nobili, necesse est, ut sit aliquis princeps: uel sponte ob bonitatem, ut in æternis: uel natura, ut in apibus: uel ui, ut in hominibus. Qui enim aliquo modo excellunt, alijs dominari conantur, ac tandem id assequuntur: at dæmonum congregatio nobilis est, igitur & duces habet. Hoc'q; omnes fatentur, qui dæmonas esse dicunt. Quia uerò omnis dolor, & tristitia cum aliqua corruptione est, & omnis corruptionis finis est mors: & ubi est aliquid commune alicui generi, in eo inuenitur finis illius generis: constat quòd dæmones omnes habentes corpora, sint mortales. Nam nihil prohibet forsan aliquos carere corporibus. Sed hi extra hanc tractationem omninò sunt, quæ solùm sensibilia attingit. Sunt igitur dæmones animalia inuisibilia,, mortalia, corpore perfecta. Vtrum uerô sub terra habitent aliqui, nondum mihi ratione cognitum est. Cùm uerò diuersi sint modi intelligendi, non fit conuinctio inter nos, & illos, nisi molesta ac uiolenta, sicut etiam uersa uice inter homines, & canes, homines & equos. Et quia (ut dixi) est ordo in illis, necesse est etiam aliquos plura scire, aliquos esse imperitos. Et ut quidam canes aliquibus hominibus in quibusdam causis, utpote in quærendo leporem sunt solertiores, & modestia morum aliquibus barbaris præstant, nullus tamen canis potest scire ea, quæ sunt ad hominum conuersationem, ut homo quantumuis stupidus: fit, ut quilibet dæmon in suo genere aliquid sapiat plus, quàm sapientissimus homo, non tamen scit ea, quæ hominum. Et ut canes quædam cognoscunt, quæ penitùs homo ignorat, ut odorem domini, odorem catulæ

præg-

prægnantis, odorem leporis, uocem alterius canis latrantis: ita quædam intelligunt homines, quæ sunt toto genere incognita dæmonibus: ut sunt forsan Geometrica, Arithmetica q̃, & maximè per demonstrationem habita. Nam demonstratio ratione perficitur: dæmones nec ratione utuntur (ut dixi) nec habent. Cum q̃ futurorum cognitio maxima sit, & soli Deo integrè, communis uerò utrisq̃ extremis: par est dæmonas, & ipsos scire partem futurorum, longe q̃ maiorem, quàm homines, minimam tamen in comparatione ad cœlorum potestates. Atq; aliquos longè plus alijs, uelut & inter homines. Ob hæc igitur oracula ambiguis responsis fallebant, unde inutilia reddita. Et forsan Pythia consenuerat: dixi enim ut homines, licet serius, ad mortem tendere. Supplentes uerò sacerdotes, malum malo fraude addidêre. Emanauit & rumor corrumpi illos pecunijs, gratia & autoritate uirorum, ac regum potentia: unde deseri cœperunt, postquam incommodi & damni plus afferrent, quàm utilitatis. Cùm uerò esse desierint ante Pharsalicum bellum, non est ut defectus eorum ad Christi natiuitatem transferatur. Nam & post Christum dedêre responsa, sed læsa, manca, omninò inutilia, & ante illum deseri cœperunt. Et iam temporibus Pyrrhi, ut suprà narrauimus, è carminibus in solutam orationem transiêre, ut iam degenerare non parùm uis illa Pythij uideretur. Scio quosdam existimaturos, me oblitum esse eorum, quæ scripserim, sed non contradico mihi: utinam hi mentem habeant. Difficillimum est hoc opus, quod uiginti annorum perfici non potuit: ac longè difficiliùs libris de Subtilitate: at his tantò difficilior liber de Fato, & illo libri de Arcanis æternitatis. Cogitet quisq̃ tractationem, & stylum rei accommodet. Non possunt hæc à me aliter, quàm scribun-

Oracula cur esse desierint.

tur, scribi. Sed ad rem redeo. Præsentium cognitio minor est futuris, non tamen omnia norunt dæmones, sed partem tantùm: quia enim necesse est aliquos minùs scire, hi omnia non scient: quare neq; ullus, sed nobilissimi plura atq; præstantiora, ut etiam in libro de Fato dictum est.

Exemplum dæmonum pulcherrimum.

Vt uerò res ipsa exemplo quodam perspicuo doceatur, simulq; aduersus peruicaces, dæmones esse ostendamus: uiam parum C. Cæsaris examinemus. In fatis erat, ut respublica Romana, quæ grauissimè totum genus humanum premebat, in unius potestatem redigeretur. Creatus est unus ciuis, Cæsar scilicet, eiq; datus genius nobilissimus Solaris, cum participatione Martis ac Veneris, qui eum perpetuò impelleret ad occupandam Rempublicam, suaderet, dissuaderetq; omnia opportunè, ad eum finem tandem tendentia. Hic nos agit non secùs ac uenator canem uenaticum: hic enim neq; currit, nec uires cani admit, nec pro illo pugnat: sed tantùm hortatur, animum addit, emittit opportunè, reuocat in tempore. Cùm igitur eò tenderet, siluit usq; quo Pharsalica pugna committitur: tunc genius iam eò deduxisse, quò proposuerat lætatus, simulq; futuram victoriam & imperij transitum in illum exultans, conuertit simulachrum Victoriæ à Cæsare in Mineruæ templo consecratæ, in Aelide. In Antiochia Syriæ bis auditus in muris tantus clamor exercitus, & signorum sonitus, ut in ipsis armata ciuitas discurreret. Idem factum in Ptolemaide. Pergami quoq; æra in adytis, quæ sacra erant loca in templo sub terra, sonuerũt. Trallibus etiam in pauimento inter coagmenta lapidum in templo Victoriæ, ubi Cæsar statuam consecrarat, nata palma ostendebatur. Quis hæc fecit, nisi genij Cæsaris subditi, quibus ille quasi potitus uoto, præ lætitia, ut hæc faceret, imperauerat? Neq; enim tam benè fingi po-

gi potest, ut conueniant hæc omnia, quàm si à genio Cæsaris factũ dicamus. Idem sub morte, cùm illum seruare non posset, uictimæ quæ immolabatur, cor sustulit: uolens ostendere, se non ignorare, nec uelle occultare, quæ illi uentura essent: non posse tamen impedire Fatum, neq; aliorum geniorũ, qui hanc necem urgebant, uoluntatem. Neq; unquã aliàs legitur, hostia sine corde inuenta: nam Cæsaris illustrissimus ac ualdè potens dæmon erat. Idem aperuit illi cubiculi fores. Idem ostendit ei in somnis per metaphoram, quòd super nubes uolitaret: indicãs honores, qui ei post mortem deferentur, ut pro deo celebraretur. Idem neq; mortuũ deseruit: sed in ludis eius cometem, atq; in eo stellam præfulgidam, quasi animam Cæsaris in cælum delatam, falsus iactator ostendit. Sed quia hoc ad naturã referri potest, ille idem principes coniurationis, speciali spectaculo deterruit. Casio in acie pugnanti C. Cæsar in Philippicis augustiore forma occurrere uisus est, atq; eum in desperationẽ ex terrore compulit: eoq; adegit, ut non expectato nuntio, sibi manus inferret: quæ causa magna fuit, ut respublica succumberet. Bruto quoq; uisus horrenda specie, illũ deterruit: & is propria manu se ipsum interemit. Ille idem omnes conscios proditionis, ad mortẽ sæuam compulit. Hic dei sub imagine, ne quid exercitui ad scelus patrandũ deesset, Rubiconẽ flumen manifesto miraculo superauit, omnibus uidentibus. Ille somnium de concubitu matris immisit, ut ad regnandi cupiditatem, quæ illi immensa erat, etiã spes accederet. Ille equos ante illius mortẽ consecratos flere ubertim, pabuloq; abstinere coëgit. Ille eum à tot periculis seruauit incolumẽ, non ui, sed cõsilio tantùm. Ergo quod in unius exemplo uides, in omnibus esse existima. Nam ubi metas naturæ semel excesseris, eadẽ in omnibus esse credas. Vna enim ratio, & unus

unus dæmon, & unus genius, & unius hominis umbra superstes, unum miraculum, dæmonas, umbras, geniosq; omnes, & miracula esse ostendit. Quòd si quis obijciat dictum esse, dæmones uim nõ habere mouendi corpora, quod tamen concedamus statuam Victoriæ à dæmone motam: respondeo, genium Cæsaris fuisse potentissimum, ideoq; aliqua arte, non ui, conuertisse illam. Potuit & illud fuisse factum dolo sacerdotum, ut templi famam augerent, & gratiam Cæsaris mirent. Quocunq; enim modo res Cæsaris cederet, conuersio statuæ optimè congruebat. Nam si uictus foret, Victoriæ etiam signum à uultu Mineruæ se uerterat. Existimo tamen potiùs fuisse uim genij Cæsaris, & dæmonum illi subditorum. Moliebatur autem non solùm nouas imagines, quibus Cæsarem accenderet ad flagitium graue, sed & rebus naturalibus rectè utebatur. Quẽ admodum cùm & equum ei obtulit, discissis in digitos pedibus, in formam humanæ manus ac pedis, nec alterius sessoris patientem, quo utebatur: monitus ab aruspicibus imperium orbis, ei qui illo esset usus portendere. Ergo genius non hunc nasci talem fecit, ut docebimus, sed nascituru curauit, ut apud ipsum Cæsarem, & in illius domo nasceretur: nec alium sessorem antea pateretur. Ita palmam in templo Victoriæ non aluit genius, sed ubi palma esset nascitura, Cæsaris animum, ut templum illud dedicaret, induxit. Seu igitur hæc non potuit genius, seu potuit, bellissimè is dæmon naturalibus occasionibus usus est. Nam quod per se dæmones quicquam possint in naturam, uix persuaderi queo: cùm enim tres magnæ sint sub Deo potestates, Natura, dæmon, & animus: nullam aliam superare potest, aut in eam arbitrium habet, nisi ex consensu. Vnde si quid naturale agit, per causas naturales, non per se, agit.

git. Et si dæmon euocatur, per dæmones ipsos euocatur, non ui carminum, aut suffitus. Et si animus inclinatur, sponte id facit, non uictus ab humore, uel dæmone. Indicio est ita esse, quòd cùm Delphicum templum ter arserit, Dianæ Ephesiæ bis, Milesiæ quoq; Mineruæ, ac apud Alexandriam Serapidis, Argis quoq; famosum dæmonis sacrum, & Romæ Apollinis templum, ubi & Sibyllæ carmina, & Pantheon omnibus dijs dedicatum, & ædes Pacis, ac Vestæ, sua primùm, si quid possent, tutati essent, demùm aliena. Non me fugit, quæ Valerius Maximus hac in causa scripserit, dum de neglecta religione tractat. Quicquid sit, uis eorum tribus constat, pacto, sapientia, & illusione. Illudunt somnijs, & in uigilia, umbras rerum, & species ostendentes, res ipsas tractare nequeunt. Hodie cùm hæc scribere-mus, die scilicet prima Decembris M. D. LIII. hora diei secunda, cùm adhuc obdormiscerem ex uigilia insueta, uisus est quispiam mihi obijcere, quòd dæmonas ob ostenta asseruerim, cùm unus dæmon, qui singularia hæc cognoscat, experimentis paucis, quæ uidentur, satisfacere possit. Sed nescio an id ex cogitatione assidua perquirendæ ueritatis mihi contigerit, an aliquis genius se interposuerit. Certè quod obijcitur, nihil est: nam si unus sit dæmon, qui omnia cognoscat, immittatq; somnia ac spectra, bonus malis minimè consulet, nec malus bonis: nec malus præfici rebus humanis merebitur. At si duo sint, neq; satisfacient: sed uel somnium merum fuit, aut fallacia dæmonis, qui cupiat euertere opinionem de seipso habitam, conformemq; religioni nostræ. Nam quòd mortales esse dixerim, hoc non de illorum mente, sed corpore intelligendum, nemo dubitat. Hoc autem parùm differt ab his, quæ sacra Scriptura commemorat de illis: tametsi nos Philosophicam tractationem,

Autoris somnium.

non Theologicam faciamus. In uniuersum igitur uis illorũ, sapientia, pacto, & illusione constat. Sapientia, præuidentes futura, alioquinq; ex suis causis uentura, sibi tribuunt, tanquam ultionem deposcentes, aut benè factorum non immemores, ut res eis conducit. Refert Ouiedus, in India Zemes prædixisse seruitutem ab aduenis, & gentis desolationem, quæ secuta est ob Hispanorum auaritiam: qui dum supra modum auri siti inhiant, illos penè ad internecionẽ deleuerunt. Pausanias quoq; refert illud mirum uaticinium de Sibyllla de regno Macedonum, quòd incrementum, & ruinam sub Philippo esset habiturum.

Dictio Macedonas nõ congruit carmini, sed nos curauimus sẽsum: Græcè conuenit.

Macedonas reges at qui iactare soletis,
Proderit & uobis regnans, oberitq; Philippus:
Nam prior instituet populis atq; urbibus altos
Reges, posterior cunctos abolebit honores,
Victus ab Hesperijs populis, & uictus Eois.

Illudunt (ut dixi) aut peruertendo sensus, unde qui illorum consuetudine utuntur, non benè sapiunt. Alij uerò immodicis cupiditatibus acti, malè pereunt. C. Cæsar (ut ad eundem sæpiùs redeam) patriæ proditor, adulter maximus, puerorum stuprator, tot millia innocentium hominum perdidit: tot ciuitates absque causa diripuit, tantum sanguinis humani ob immodicam solam regnandi cupiditatem effudit: & ut esset, quò insatiabilibus desiderijs, turpissimisq; largitionibus satisfaceret. Nihilotamen fœlicior, imò longè infœlicior, quàm si iustè, sanctéq; uixisset. Iam propè nomen, familia uerò, imperium, & patria, penitùs extincta sunt: quæ adhùc manerent, si effrenatis libidinibus modum aliquem, uel tandem imposuisset. Sanctior atque uiridior Catonis memoria, cùm nihil egregium in acie gesserit, quàm cùm tot prælijs Cæsaris. Et nisi illius

Cont=

Commentaria rediuiuam facerent illius famam, iam prorsus extincta esset. Socrates cum suo dæmone, infœlicem exitum habuit. Neq; Plato, Aristotelésue, quamuis magis dissentirẽt de dijs à plebe, nec ullus alius Philosophus, præter Anaxagoram, de quo etiam incertum est, tam uiolentum finem habuêre. Vnus philosopus dæmonem habuit: unus philosophus publicè damnatus est. Nec dubiũ est, quin dæmon causa illi fuerit damnationis. Nimia enim confidentia auxilij eius, nõ ueritus est eas suscipere inimicitias, propter quas damnatus est. Omnia etiam decora, utiliáq; esse persuadebat sibi, à quibus dæmon ille eum non auerteret. Idem dæmon, dum in periculo capitis uersaretur Socrates, meditantem defensionem bis impediuit. Aut ergo dæmones omnes improbi sunt, aut humani generis hostes. Nã hi qui tutelares uidentur, uel ut obsint omninò, ut Cæsarianus ille genius: uel ut gloriæ quicquid est apud hommes & opinionis, seu uirtutis, seu eruditionis, ut in Socrate, ad se transferant. Ita quicquid boni à Deo accepimus, ni Peripatetici & Epicurei cõstanter obstitissent, in dæmonas Platonici transtulissent. Verè ergo esse dæmonas reor, audiriq; quædã, uideri ac uersari rarissimè crediderim. Ita & quandoq; nobis propitios specie existimauerim: auxiliari, uix unquam. Quòd enim uerè uideantur, nullum scirem clarius argumentum afferre, quàm id de Cæsare, qui iam diu occisus, pugnantem Cassium perterruit. Verba ipsius Valerij Maximi, qui fermè eadem ætate uixit, subijcere placet. Cùm C. Cassius (inquit) acie Philippensi ardentissimo animo perstaret, uidit humano habitu augustiorem, purpureo paludamẽto amictum, minaci uultu, & concitato equo, in se impetum facientẽ: quo aspectu perterritus, tergũ hosti dedit, uoce illa prius emissa: Quid enim amplius agas,

fi oc-

si occidisse parum est? Non erat timidioris animi Cassius: erat Epicureus, & ex eorum genere, qui nihil à morte superesse arbitrantur. Ego tamen hoc in gratiam potiùs Cæsaris confictum arbitror. Vtut res se habuerit, mihi certè res hæc magnam affert dubitationem, postquam talia multa contigêre: & genius Cæsaris in reipublicæ perniciem datus uidebatur. Quo dubio aliud non leuius exoritur. Nónne (dicet quispiam) genius ille poterat Cassium omninò uel occidere, uel submergere, uel alio modo tollere? Si enim spectro illi securus occurrisset Cassius: certum est, non læsum fuisse, quandoquidem omnes, qui à talibus læduntur, uideamus solo metu interire. Hîc igitur rursus ad ænigma reuertimur, lapidemq; Aesopicum. Stultum est existimare, quòd multi credunt, non nocere eos, quia unius tantùm certi generis scientiam habeant, ut equi, canesq: nam qui scientiam habent generalem, hominibusq; præstant, hi saltem contemptores aut malos occiderent? Neq; quia singularis hæc sit cura Dei: nam in omnibus effectibus generalibus, causas generales, & illis proximas constituit. Nec quia ab alijs genijs defendamur: esset enim hoc prælium quoddam inter ipsos. Neq; quia non possint: aëreum enim corpus habent (ut diximus) quò saltem per occasiones, ut tegulis, nauigationibus, multos perdere possent. Terrore etiam mulieres ac pueros non paucos sustollerent. Nec quia negligant: nam saltem gloriæ cupiditate multa mira patrarent. Hoc igitur argumento multi, nec abs re, in opinionem eam deuenêre, quòd dæmones non essent. Nam neque manifestè quicquam agunt, nisi ex longis temporum interuallis, quo esse credantur. Nec si fateantur agere, ratio ulla inueniri potest, qua prohiberi debeant, quin perdant humanum genus illis inuisum; aut saltem qui ex eo genere illis sint inuisi.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-30760-p1214-5 DFG

uisi. Itaq; tametsi plura sint, quæ quamuis ita esse cernantur, nullam tamen rationē inuenire liceat, qua ita esse posse uideantur, ut de cœlestibus motibus constat: dæmonum tamen ratio omnis, hac in parte conspicua esse uidetur, & sibi undequaq; & his, quæ uidentur de illis constare. Principiò igitur illud animaduertendum, dæmonas in suprema aëris regione generari, & habitare: ubi scilicet aër & purior, & siccior, & minùs frigidus existat. Neq; plus illos ad nos solere descendere, quàm homines ad maris imum: non solùm, quòd aërem hunc crassiorem ferre nequeant, ubi neque respirare, nec agere quicquam possint, sed quod descendendo transitus sit per regionem frigidissimam, quæ nobis proxima circumstat. Vt sit quasi septum inter nos, & dæmonas, uelut maris aqua inter nos ac pisces. Et licet nos ingenio, & industria ualeamus, cupiamusq; pisces enixè perdere, paucos tamen admodum licet: nec nisi illos, qui quasi ultrò se nobis obijciunt: qui, pro tanto numero eorum, qui in mari sunt, nulli dici possunt. Ita quamuis dæmones oderint nos, corpore tamen nullos, industria perpaucos perdere possunt. Et sicut si pisces loquerentur, dicere iure meritò possent, existimare nulla alia esse animalia, quàm quæ in aqua degunt, nec tamen uera dicerent: ita iure etiam existimare homines possunt, dæmonas non esse: cùm tamen proculdubiò sint, & tantò uerius, quantò homines piscibus.

Ergo dæmones in alta regione habitant, hominesq; imaginibus admonent, ac terrent, præsertim per somnum, quod in uigilia uix nos afficere possunt. Genij igitur, non corpore, sed ui nobis astant, aliquidq; in nobis possunt, si nos consenserimus. Rarissimè enim ad nos ueniunt, & si ueniant, uix manere possunt: breue tamen tempus, longum uideri

deri faciunt sua arte, uarietatéq; imaginum, uolubilitatéq; formarum & actionum. Verùm uocati quandoq; ueniunt, aut uenientis imaginem præferunt: tunc mitiores, & sapientiores, & ex pacto futura quædam docent mille ambagibus inuoluentes, mendacijsq; miscentes: alij uerò strangulant: uel si id non possunt, in desperationem agunt: aliquis quibus uidentur in corpora inseri: aliorum filios occidunt, non per se, sed arte quadam, non secùs ac homines in fundo maris fuscina, & reti pisces opprimunt. Quòd si omninò corpora hominum, ueríq; ingrediuntur, & non ex alto imaginem solam immittunt: ob caloris similitudinem, & fomentum id contingere potest. Oportet autem tales dæmones non genorosos esse: nec uenire, sed mitti. Optimum est igitur eorum generi haud commisceri: ut neque tyrannis, aut potentioribus, aut feris: in quibus tam perniciosa est inimicitia, quàm familiaritas periculosa. Ego certè nullum dæmonem, aut genium mihi adesse cognosco, Quòd si modò me inscio adsit, postquam toties monitus sum per somnia, à Deo mihi cùm datus sit, Deum solùm reuerebor, illíq; soli gratias agam, si quid mihi boni contigerit, tanquam omnium bonorum authori, fontíq; uberrimo. Dæmon uerò ipse æquo animo feret, si ei, cui debeo retribuam, dominóq; communi. Illud benè scio, mihi pro bono genio datam rationem, patientiamq; in laboribus magnam, bonum animum, pecuniæ, honorumq; contemptum: quæ omnia maximi facio, & dæmonio Socratis meliora atq; ampliora dona existimo: nam qui cupiditate gloriæ, diuitiarumq; tenentur, hi sunt, qui dæmonum conuersationem quærunt, qui sanguinolenti nos in maxima crimina compellunt. Vnde beatus Paulus ob id dixit, auaritiam esse idolorum seruitutem. Verùm dices, cur Socrati ge-

Ephes. 5.

ti genius suus se manifestũ fecit. Cæsari autem non? Quoniam Socratis sensus puri erant, ideoq; pro conditione humana, tenues, & mundi: Cæsaris autem uiri sanguinarij, pleniq; flagitijs, & perturbationibus: cũm uerò uideri ipsi uelint diuini, & ne forte hominẽ metu immortalitatis animæ à malis auertant, puris se ostendunt, unde etiam pueris, flagitiosis nequaquam. Cæsarem tamen, ut uirum magnanimum dilexisse (licet se non illi prodiderit) genius suus multis ac magnis signis, effectibusq; ostendit. Ex quibus perspicuum est, non angelos, aut dæmonas in ureis uideri, sed spectra à dæmonibus immissa, uelut & in somnis: hosq; uidere, non illos: præsertim autem infantes uidere, sicut & somnia, & ectasim pati, non æqualiter omnibus commune est, sic audiunt uoculas ex pelui. Genius enim præcantantis oculos puerorum, & aures falsa illusione perstringit, quasi per somnum: ideò qui ualidam mentem habent, ac sensus, motumq; in eis uelocem, nihil uident aut audiunt. Sunt enim quasi uigilantes: hebetes perstringuntur, illiduntur q. Veritatem uerò tantam continent hæc audita, uisaq; quanta fuerit præcantantis coniectura: illa enim ex genio, quasi speculo, in puerorum sensus reflectitur. Nominatim uix exaudiunt, sed si modò à genio: iuuat autẽ in tam leui sensu præmonstrare pueris. Ambitione uerò ducti, ad hæc spectra peragenda mouẽtur: cupiunt enim adorari. Omnis autem res creata, adorationi consentiens, inimica Deo est: seu dæmon, seu rex, seu alius quiuis. Paulus enim & Barnabas cũm in Lystris adorarentur, ob ignorantiam plebis, sciderunt uestimenta sua. Et omnis qui adorat, commutit idololatriam. Et si animadauertit, indulgensq; cupiditati suæ, Deo fit inimicus. Nihil etiam egregium ex horũ cultu sequitur: quoniam dæmones

pauci,

pauci, magna norunt. Et si sciunt, nos parui facientes, docere nolunt. Quæ uerò docent, fulminibus, prodigijsq; significant, ac magnis ceremonijs inducti: sunt enim ambitiosissimi. Gulæ enim peccatum, libidinis, auaritiæ, tum cæterorum, intellectus sunt corporei, sola ambitio, mentes quæ sine corpore sunt, exagitat. Vnde non malè Theologi dixerunt, dæmones è cœlo pulsos ob ambitionem. Quod uerò ita sit, ostenditur: nam peccant, corporei enim sunt, & sublunares: eo igitur modo peccant, quo peccare possunt, & facillimè. Equi, canes, & magis homo, ambitione tenentur. Id igitur genus peccati, aut solùm, aut maximè illis inest. Quorsum igitur adorare peccatores? Fieri uerò potest, atque ita esse consentaneum est rationi, ut quemadmodum aliud cognoscendi genus habent, ita & peccandi. Quod enim sæpiùs dixi, & nunc repeto, non debere nos arbitrari, quæ nos non nouimus, ea non esse: nam si nosceremus, ex eorum ordine essemus. Si enim equi percipere possent cognitionem in nobis qualis est, non iam amplius equi essent, sed homines. Stultum autem est tantum discriminis inter mortalia uidere: & inter mortalia, & immortalia, non maius cognoscendi discrimen existimare. Ob id conditionem suam nos docere nequeunt, plusquã nos equos, aut canes nostrã. Desciscentes uerò ad illos, quibus digni sunt supplicijs? Si quis enim à rege desciscat, excarnificatur: at sic à regum rege, optimoq; omnium. Neque maledicendum illis, quoniam scriptum est: Benedicite omnia opera Domini Domino. Valedicamus autem his philosophis, qui nostram mentem adeò extollunt. Quandoquidem, & si omnia intelligat, ex omnibus modis, quibus intelligi possunt, uno tantùm atq; eo pessimo omnium intelligat.

Ne mire-

Ne mireris Lector, non plus (ut dixi) potest homo de dæmone cognoscere quantumuis doceatur, quàm canis de homine. Cognoscit canis quòd homo est, quòd comedit, bibit, ambulat, dormit, non ultra: nec etiam cuius causa id agat: cognoscit & formam: ita homo de dæmonibus. At dices, homo mentem habet, canis non habet. Sed mens dæmonis longè plus distat opere à mente hominis, quàm hominis mens à canis sensu. Nam ubi ascenderis, spatia distantiæ semper fiunt maiora. Vides in numeris 3.6.12. sunt in eadem proportione: maius est discrimen 12. à 6. quàm 6. à 3. Et ita à cœlo lunæ ad cœlum Mercurij maius est spatium, quàm à terra ad lunæ cœlum. Et ita de alijs orbibus cœlestibus. Ita cùm ascendimus ad supremam mentem, cùm illa sit infinita, necesse est ut spatia distantiæ semper & absque comparatione augeantur. Sed hæc ad Arcana æternitatis pertinent, quæ tamen certissima sunt. Præterea dæmones sunt ualde Laconici in loquendo, cùm per se loquuntur: cùm autem ut Pythones in corporibus humanis ambigui, & nugaces: ut neutra uia, eorum status facile dignosci potuerit. Ex his ergo perspicuum, & etiam cur inuocati non accedant, uocati ueniant, nec semper. Nec possunt adeò sensus mouere nostros ut uolunt, perturbatos & obtusos: sed per somnum id magis promptum est eis. Non negarim etiam aliquos egregijs in rebus famæ & gloriæ cupidos, ab his euectos esse. Fauent enim his hominibus tanquam propriæ naturæ magis similibus. Ergo ex his C. Cæsari, si cui alij inter improbos: & Socrati, inter iustitiæ cultores. Fuit autem Socrates gloriæ cupidissimus, tametsi maximè hoc dissimulauerit, quod optimè ab Aristotele animaduersum est. Neq; ergo uterq; eorum tantã famam sine genij auxilio sibi acquisiuisset. Sed (ut dixi) plus ueneni & fellis habuit

Dæmonis intellectũ plus distare ab humano demonstratur, quàm humanum à canis sensu.

4. Ethic. 3.

hæc consuetudo, quàm mellis. Nam alter in perniciem maximam humani generis & patriæ, alter in opinionum dubiarum semina, ex quibus tot ortæ sunt contentiones, uidetur fotus & euectus. Cùm uerò natura horum sit nobis aduersa, libenter habitat in abruptis locis ac domibus desolatis, atq; desertis. Seu igitur uapor malus sit, seu dæmon, mihi incertum, aut quorundam rariorum serpentum spiritus. Hoc certum est, non omninò tutum esse, maximè sine ignibus, talia loca incolere. Nam pueri, mulieres, senes, morbosi, timidi, plerunq; periclitantur. Et ego scio quosdam mortuos, alios etiam ex alto præcipitatos ac occisos, seu metu, seu aliquo etiam impulsu. Tametsi enim non possint per se nocere, non tamen quærendæ sunt occasiones. Scriptum enim est: Non tentabis Dominum Deum tuum. Et quando aliud omne desit, timor non parum obesse potest. Si tamen contingat multitudo hominum & fortium, plurimum iuuat: inde animalia homini fida & familiaria, & præcipuè canes, & equi. Et ignis magnus, & lustratio domus, ac loci totius cũ eo. Et arma, nam ea seu dæmones timeant, seu qui imposturam ac laruas ad terrendũ fingunt, quod (ut dixi) frequenter fit ab improbis, uitant, ne malũ in alios cogitatũ, in ipsos reincidat, & (ut dici solet) suo ipsius laqueo captus est, afferre optimum semper fuit. Præcipuè uerò bellica tormenta, quæ simul & procul, & letaliter feriunt, & ignem, & strepitum ingentem afferunt. Serpentes enim odore ac feras atq; etiam ignis specie abigunt statim, & peiores his homines improbos, sycophantias, machinasq; struentes, laruas quoque, lemures ac dæmonas umbrasq;. Omnia enim talia ignem & sulphuris odorem horrent, & forsan his periculosius sphærulam ictusq; periculum. Assueti alios frustrà terrere strepitu & simulachris, arte sua pelluntur.

Præsidia aduersus dæmonas.

Sed

Sed quoniam ad narrationem de domibus inculiis deueni, non abs re esse puto adijcere historiam, quam sæpius narrare solitus erat pater meus. Ea talis fuit:

Educatus (inquit) eram in domo Ioannis Restæ patritij Papiensis: atq; ibi tres illius pueros literis Latinis erudieram: inde cum profiterer, è domo illius discedens, proprio stipendio me alebam. Incidit interim cùm iam Medicinæ operam dedissem, tunc uerò Iuri ciuili fratri meo Paulo Cardano, Iuris pontificij perito, ac sacerdoti primario gratificaturus, ut unus è pueris illis iam factus adolescens ægrotaret ad mortem: unde tum ob peritiam Medicinæ, tum familiaritatem amicitiamq; contractam, aduocor, ut adolescenti assistam. Fortè fortuna dominus conduxerat alias ædes ab his in quibus habitabamus, cùm essemus in illius domo. Atque ægrotans ipse cùm esset in inferiore cubiculo, nos dormiebamus in superiore: ego scilicet & alter ex fratribus ægrotantis: Isidorus enim, qui tertius erat ex fratribus tunc aberat. Vtriq; autem cubiculo turris adiacebat: ut sunt frequētes ea in urbe turres. Prima igitur nocte cùm issemus in lectum, audio intra cubiculum ictum in parietē assiduum, uelut (dicebat) si quis frusto circuli quo solent cadi constringi atq; contineri, parietē illidat. Tum ego, Quid hoc est? At adolescens, Ne timeas, dæmon est familiaris, uocant folletos, alioquin innoxius: & rarò etiam, ut nunc, pergit esse molestus: nescio quid nunc illi sit. Interim adolescens in somnum labitur, ego admiratione rei nō parum detinebar, atque ea causa ac etiam studiosè uigilabam. Vbi siluit spatio mediæ horæ, sentio digitum pollicem meo uertici imponi, idq; ex frigore, nam nequaquā manum comprimebat: attentus sto, indicē superponit, ac medium, pòst reliquosq;, ita ut minimus ad frontem fermè usq; pertingeret:

Erat autem manus ut pueri decennis, ex magnitudinis coniectura, quasi ex cotto, sed adeò frigido ut nõ exiguam molestiam afferret. Interim tamen gaudeo oblatam occasionẽ tam miræ rei cognoscendæ, atque ausculto. Sensim proripit se manus præeunte annulari recta in faciem & super nasum descendens: erat autem sinistra manus, ut ex positu cognoui, tandem in os ingreditur: tam intruserat extrema duorum præcedentium digitorum, cùm ego suspicatus aliquid mali, & ne forsan corpus ingredi uellet, dextra mea illum abegi. Siluit, & ego interim uigilabam, non omninò fidens huic spectro: quiescens uerò supinus, ubi fermè dimidium horæ exactum est, rursus adest, ac leuius omnia peragit quàm prius, sed non tam leuiter (quanquam leuissimè id ageret) facere poterat, quin immensum frigus illum detegeret. Vbi rursus eò processisset, illum abegi: iam certò existimans curare, ut ingrederetur corpus. Illud mirũ erat, quòd cùm dentes frigiditatem digitorum sentirent & facies, labia tamen exquisitè compressa conniuebant: ut corpus illud aëreum esse intelligerẽ. Surrexi ergo, ratus ægrotantis forsan animam hanc esse, quæ ultrò post excessum, ad me ob familiaritatem uenisset. Vt cœpi ad ostium ire, ille antè prodibat pulsans parietem: ubi appropinquaui ostio, cœpit extrà pulsare: ubi aperui, pulsabat turrim: lucebat luna, pergo ut uideam, ille faciem aliam turris percutit: sequor: aliam aggreditur: ubi aliquandiu me illusit, uado ad ægrotantem, inuenio uiuum, licet pessimè se haberet: mortuus enim est sequenti nocte. Dum loquor cum astantibus, sentimus strepitum tanquam domus uniuersa rueret. Et ecce adolescens qui mecum cubabat post tergum semiuiuus. Is narrabat causam timoris, dicens, cùm experrectus essem, sentiebam manum frigidissimam in dorso: existimabam

bam te esse, qui uelles excitare me à somno, ut unà iremus ad uisendum fratrem: ob hoc simulans me dormire, quiescebam: ratus, te solùm ubi dormire me sentires arctiùs, surrecturum. Sed cùm surgere te non sentirem, & frigus manus molestius esset quàm ferre possem, excussa manu ut tuam abigerem, sentio locum uacuum, tepidumq́. Tunc recordatus Folleti, existimaui illum te aliquò asportasse, & nunc me uelle etiam asportare. Hoc pauore, in pedes, qua maxima potui celeritate per scalas descendens, me proripui: nunquam similem passus timorẽ. Palàm autem est, ex hoc quod aliâs dixi, hos dæmonas esse frigidissimos, propter eam quã inhabitant aëris regionem, imbelles, naturaliter exiguos, quamuis ad terrorem incutiendum nonnunquam in immensum se extendant, lucem paruam continentes, ob animam & aëris coacti leuitatem: unde fit, uelut ex oculo felis repercussio luminis. Nihil miror ob hæc, si sæpè dicebat, se certum esse quòd dæmones essent: nam si uera hæc sunt, cùm minimè esset mendax, nec uideo quomodo ea in re imponi potuerit, dæmonas proculdubio esse existimandum est. Et quales sint, etiam satis constat. Mihi impium esset non credere, alteri forsan non ita. Quærebatur etiã coniurationes Conciliatoris non processisse: seu (dicebat) falsò illi ascribantur, seu iam mortui sint dæmones quos inuocabat, ut pro constanti haberet alias, nec falleretur, quas expertus esset. Referunt etiam, quendam principis Mediolanensis filium, cùm coniurationi interesset perterritum, cum strepitu incondito atq́ sine uoce, tertia die perijsse.

Forma dæmonum familiarium.

Atque hæc sunt quæ de his accepimus.